Geschenk des Herrn Dr. V. Hantzsch 1897.

VINDICIARUM

PLUTARCHEARUM

LIBER

SCRIPSIT

THEODORUS DOEHNER

ZWICCAVIAE

PROSTAT IN LIBRARIA IULII DOEHNERI

MDCCCLXIV.


LIBRARY
NOV 15 1965
UNIVERSITY OF TORONTO

CAROLO SINTENI

FRIDERICO FRANKIO

OTTONI KREUSSLERO

S.

Quod multis argumentis et a Carolo Sinteni et a me conprobatum est, satis multos apud Plutarchum locos, in quibus editores nullam sententiae agnoverint perversitatem, inconcesso vocalium concursu manifestae librariorum fraudis coargui, eius rei haud scio an nullum inlustrius extet exemplum quam in vitae Romuli cap. 5. Adparebit enim quam non inutilis sit harum rerum quantumvis exilium observatio ad coarguenda graviora vitia. Narratur ibi de duabus Accis Larentiis, quarum altera Faustuli uxor atque geminorum nutrix, Larentinaliorum feriis originem dederit, altera a viro locuplete Tarutio vel Carutio, ut vocatur a Macrobio, nuptiis adsumpta, post obitum viri populum Romanum vel Romulum ipsum, Valerio Antiate auctore, quem antestatur Gellius VI, 7, 5, bonis suis heredem fecerit et ob hanc liberalitatem sepulcri magnificentia et annuae parentationis honore dignata sit. Utramque ante nuptias meretriciam vitam transegisse ait. Atque de Faustuli quidem coniuge videntur hoc seriores Urbis incunabulorum enarratores excogitasse commoditatis magis rationem habentes, quam quod auctoritatis multum et fidei ineptissimae sane traditioni tribuerint. Unum enim hoc agebant, ut argutae de Romulo et Remo a lupa (i. e. meretrice) nutritis fabulae fons atque origo vel sine miraculi commento esset in propatulo*). Nec cum semel ut videtur duae eiusdem nominis mulierculae in duas personas distractae essent ad Larentinaliorum fratrumque Arvalium originem detegendam, alia patebat via, quam ut in cetera de utraque muliere narrationis dissimilitudine, praeterquam quod similes utrique post obitum tributi erant honores, utraque idem certe pristinae vitae dedecus admisisse significaretur. Atqui tralaticiam quidem de

*) Vid. C. Lachmann de font. hist. Livii I p. 52.

Larentia Faustuli uxore narrationem non eo adtigimus, quo sententiam novam ipsi proponeremus, quandoquidem novi vix quicquam in his fabulis de originibus Romanorum excogitari posse videtur. Nam quamvis ab antiquis serioribusque Originum conpositoribus saepissime repetita et magno cum studio magnaque orationis varietate, ut fit in rebus commenticiis, sit exposita, summam tamen rerum ab omnibus servatam videbis plenam atque intemeratam, quamquam tanto magis a prisca forma deflexam, quanto artificiosius scriptores, si quid forte verae memoriae sub fabulae involucris inclusum erat, eruere studebant, ut verissime in simili causa observavit Schoemannus (de Tullo Hostilio rege Romanorum p. 3 = Opusc. I p. 18). Ita Macrobius Saturn. I, 10, 11 eisdem ni fallor cum Plutarcho usus auctoribus, quamquam recentiorum etiam videri possit exornationes aut sui ingenii persecutus inventa, contra frequentiorem famam Larentinalia originem traxisse narrat ab altera Larentia, ab Hercule quondam conpressa, mox Tarutii facta uxore, quam Faulam s. Favolam cognominatam fuisse testantur Lactantius Inst. I, 20, 5 et apertius Plutarchus in Quaest. rom. 35. Non magis commemorare adtinet quod aliorum scriptorum veluti Licini Macri (Macrob. l. l. 17) neglegentia vel inepta loquacitas commenta est de Acca Larentia, Faustuli olim coniuge, mox regnante Romulo Carutio cuidam Tusco conubio iuncta auctaque hereditate eius, quam posthac Romulo reliquerit. Nec multum denique curamus pusillum dissensum, quem severior antiquiorum historias scribendi ratio et subtile in testimoniis examinandis rerumque causis indagandis iudicium, veluti M. Porci Catonis in Originibus, amplexum est, Larentiam meretricio quaestu mirifice locupletatam populum Romanum heredem nuncupasse. Cuius rei significatio haud multum differt a Rhodopidis celebratissimae meretricis liberalitate pro neglecto pudore decumas mercedum multaticiam quasi poenam in Acanthiorum et Brasidae thesauris deponentis, cuius mentio extat apud Herod. II, 134 sq. Plut. Mor. p. 400 f. Aelian. v. h. XIII, 33. Atque haec quidem Rhodopidis conparatio propterea non abs re fieri videtur, quod eandem duarum eiusdem nominis mulierum confusionem, quarum alteram novimus Psammetichi uxorem sepultamque sub pyramide, ut priscam Larentiam in Velabro, alteram Aesopi

consortem, si non apud Herodotum at certe apud Aelianum obtinuisse, veri haud absimile est. Sed de his utcunque statuitur, nihil nunc facit ad rem; multo gravius est, qua ratione cum alii passim scriptores tum Plutarchus ipse, si concludere id licet e Lactantio l. l. I, 20, 5, Verrium Flaccum fortasse secutus auctorem, — nam, ut praeter hunc alicuius grammatici pornographiam*) adhibitam esse credam, aegre adducor — de Acca Larentia, scorto Herculis, disseruerit, cum praesertim ne sibi ipsi quidem constiterit per varias huius rei commemorandae opportunitates. Qua de re nunc paullo uberius enarrare placet.

In vita Romuli igitur cap. 5, ut tandem in viam redeam, fuisse quondam legimus Herculis aedituum, qui feriatus et otiosus deo tesserarum certamen proposuerit hac condicione, ut si victor prodiisset Hercules luculentam ei praeberet cenam scortumque, ipse si vicisset ut aliquid a deo beneficii consequeretur. Huc usque in re summa omnes narratiunculae auctores concordant: Plutarchus in Quaest. rom. 35, nisi quod breviori narrationi prolixiorem praefert in Vitis, Augustinus de civ. dei VI, 7 p. 228, 11 (Dombart), latinos haud dubie exscribens auctores, ac specie magis quam re varians in describenda certaminis ratione, cum dicit: lusit tesseris secum utraque manu alternante, in una constituens Herculem, in altera se ipsum, cum quo apprime congruit Macrobius in Saturnal. I, 10, 12, idem recentiores, ut opinor, sed multo uberiores in rebus exponendis secutus auctores vel etiam frequentiorem famam in sermonibus memorari solitam, ita tamen ut non diversa a Plutarcho tradat, sed aliam eiusdem narrationis partem copiosius inlustret. Sequitur dehinc in vita Romuli quomodo aedituus, postquam victor decesserit Hercules, pacto promissisque stare in animum induxerit: *εὐσυνθετεῖν δὲ βουλόμενος καὶ δικαιῶν ἐμμένειν τοῖς ὁρισθεῖσι, δεῖπνόν τε τῷ θεῷ παρεσκεύασε καὶ τὴν Λαρεντίαν οὖσαν ὡραίαν, οὔπω δὲ ἐπιφανῆ, μισθωσάμενος εἱστίασεν ἐν τῷ ἱερῷ.* Non nulla in hac narratione esse credo quae adtentum lectorem offendant. Ac primum quidem magnum movet scrupu-

*) Cfr. A. Reifferscheid Suetoni Reliq. p. 466 sq. coll. p. 349 sqq. H. Klapp, de Vitarum Plutarchearum auctoribus Romanis p. 11, eodem fortasse iure de Valerio Antiate cogitasse videtur propter Gell. VII (VI) 7, 6.

lum, quod Larentia ab aedituo in Herculis usum conducta, miro profecto acumine tum temporis *nondum famosa* fuisse significatur, cum praesertim et ceteri omnes et Plutarchus in altero loco contrariam sectentur sententiam et constantissimam etiam ut videtur annalium affirmationem. Dicit enim l. l. verbis minime obscuris: *ταῖς οὖν προκλήσεσιν ἐμμένων τράπεζάν τε λαμπροτέραν παρεσκεύασε τῷ θεῷ καὶ τὴν Λαρεντίαν παραλαβὼν* ἐ μ φ α ν ῶ ς ἑ τ α ι ρ ο ῦ σ α ν *εἱστίασε*, quibuscum adamussim paene conspirant Macrobius et Augustinus, quorum alteri Larentiam nuncupare placuit *nobilissimum id temporis scortum*, alteri *nobilissimam meretricem*, quibus non obloquuntur Gellius VI, 7 et Lactantius Inst. I, 20, quamquam non admodum luculentus harum rerum testis. Verum haec omitto ut ambigua et in neutram partem valitura. Atque eo quidem mehercle nemo confugere volet, quo aptae explicationis desperatione confugit Schaeferus, ut *οὔπω ἐπιφανῆ* opponi putaret famae celebritati, quam, postquam Larentia populum Romanum bonorum heredem scripsit, liberaliter ei tributam fuisse multis demum interiectis verbis adcuratius docemur infra: *λέγεται δὲ αὐτὴν ἔνδοξον οὖσαν ἤδη καὶ θεοφιλῆ νομιζομένην ἀφανῆ γενέσθαι περὶ τοῦτον τὸν τόπον.* Quod si per se parum credibile esse dicam, facile me hoc intellegentibus probaturum esse confido et si cui tamen forte persuadebitur, hoc saltem confitendum erit, perversum plane esse eiusmodi descriptionis ordinem, in tanta praesertim narrationis simplicitate, quo quid ita exponitur, ut pertractata demum longa verborum serie quonam sensu accipiendum fuerit commoneantur lectores. Atque hic quidem dissensus in uno eodemque scriptore tanto plus habet offensionis, quoniam si adcurate conparaveris utriusque loci orationis colorem atque habitum, vix ambigere poteris, quin Vitarum locus si non ex quaestionum farragine adumbratus*), at certe ex eodem antiquo scriptore ita sit derivatus, ut alterum ad alterius orationem supplendam optime adhibere possis. Neque pro-

---

*) Ad Quaestiones romanas in alia causa lectores reicit Plutarchus in eadem Romuli vita c. 15, p. 26e: *ἔνιοι δὲ λέγουσι καὶ τὸ τὴν κόμην τῆς γαμουμένης αἰχμῇ διακρίνεσθαι δορατίου σύμβολον εἶναι τοῦ μετὰ μάχης καὶ πολεμικῶς τὸν πρῶτον γάμον γενέσθαι· περὶ ὧν ἐπιπλέον ἐν τοῖς* **Αἰτίοις** *εἰρήκαμεν.*

babilis opinor excogitari potest ratio, cur Plutarchus, in summa re, qualem in Annalibus pervolgatam fuisse certum est, cum ceteris egregie consentiens, miro quodam et novo prorsus dissensu ac data quasi opera in singulari re argutiorem ac si diis placet verecundiorem narrationis speciem praetulerit vel ipse confinxerit confictamque proposuerit. Verum ex quonam auctore nova haec commenta desumpserit parum constat constaretque opinor sine controversia, si discrepantia illa diserto quodam scriptoris testimonio niteretur. Neque ego quidem, si recte Plutarchum novi, diversam eum a volgari traditione sententiam, sive ipse hanc finxerat sive apud Graecum Latinumve quempiam scriptorem invenerat, commemoraturum fuisse credo, ut non dissensus sui rationem verbo explicaret, cum praesertim ab altera, quam in Quaestionum libris amplexus erat, magno opere abhorreret. His omnibus adcurate perpensis, nisi cupide agere velimus, unum hoc relictum videtur, ut librariorum hic nos ludi credamus aliquo commento et Plutarchus dederit: *Καὶ τὴν Λαρεντίαν οὖσαν ὡραίαν καὶ εὖ πως ἐπιφανῆ μισθωσάμενος εἱστίασεν,* quod et corruptis litteris et sententiae pariliter adcommodatum est. Cfr., si operae pretium, Arat. 40 *εὖ πως καθεστῶτι τῷ προσάπῳ.* Symp. I, 4 p. 120d *εὖ πως συγκεκραμένον πρὸς ἀμφότερα.* Caes. 16 *εὖ μάλα κατηφὴς καὶ δεδακρυμένος.* Arist. 27 *θυγατριδοῦν εὖ μάλα πένητα.* Artax. 17 *εὖ δέ πως καὶ τῶν κύβων πεσόντων.* Sept. sap. p. 161 f *εὖ πως φυλαξάμενοι καὶ κάμψαντες* et exempla a Winckelmanno ad Plut. Erotic. p. 762 e citata et quae Astius, quamquam non prorsus recte disputans, congessit ad Plat. Phaedr. p. 291 et Fr. Franke ad Demosth. Orat. Philipp. p. 18 sq. Nempe *πως* adiecit Plutarchus ut mirificam quodammodo sibi visam esse significaret hanc meretriculae celebritatem; quam apte autem *εὖ πως* coniungatur cum *ἐπιφανῆ*, non opus est monere. Nam qui adcurate composuerit Plutarchi narrationem cum Macrobianis, ei haud difficile opinor persuadebitur, cum apud antiquum Annalium scriptorem, quem a Plutarcho consultum fuisse statuimus, scortum nuncupatum esset *nobilissimum*, hoc nimium quasi laudis visum fuisse, quod, ut lenius poneret pro fortiore, aliqua adiectione coercendum iudicavit. Ignorabat enim, nam tenui admodum sermonis Latini instructus erat notitia, qua de re

pluribus a nobis disputatum est in Quaest. Plut. IV p. 5, adiectiva *nobilis* et *inlustris* notitiae etiam fuisse apud veteres nomina, non meriti, ut breviter sed adposite ad rem monuit Servius in commentario in Verg. Aen. VI, 758, citatus a L. Iano ad Macrob. Saturn. I, 10, 13. Hinc factum est ut *nobilis* et *inlustris* usurpentur etiam de prostibulis, ut opponatur fere vulgivagum scortorum genus, quemadmodum apud Livium XXXIX, 9, 5 habes *scortum nobile.* Similiter apud Graecos λαμπρός etiam in malam partem dici constat, adeo ut apud Philodemum de virtute et vitiis inter misera relicuae orationis naufragia claris litteris scriptum sit: ὡς αἱ λαμπρόταται . . . . . . ποιοῦσι πολλάκις, ubi nullum aptius suppleri potuit vocabulum quam κακίαι (cfr. Schoemann Opusc. III p. 242), quibus accedat Heliodorus Aethiop. I, 12, cui adulter dicitur ὁ λαμπρὸς τῆς πάντα σωφρονούσης ἐρώμενος. Praeterea vix dignum mentione, simillimi usus exempla in voce *clarus* occurrere etiam apud Latinos, quemadmodum quae apud Ciceronem in Verr. II, 1, 18, 50 posita sunt de expilatione fani Iunonis: *quam luctuosa Samiis fuit! quam acerba toti Asiae! quam clara apud omnes!* non possunt aliam vim habere nisi turpis infamiae (conf. Halm. ad Verr. IV, 12, 27, Serv. Verg. Aen. VII, 19*). Removebitur profecto sic una offensio, restat altera non sane minor. Sequuntur deinceps post εἱστίασεν ἐν τῷ ἱερῷ haecce: κλίνην ὑποστορέσας καὶ μετὰ τὸ δεῖπνον συνεῖρξεν ὡς δὴ τοῦ θεοῦ ἕξοντος αὐτήν, quae verba si minus ob sententiam, certe ob intolerabilem hiatum de vitio suspecta sunt, qui quomodo tolleretur Sintenis v. cl. indicare praetermisit. Ac videtur mihi sane mysticum hoc silentium in tanto praesertim viro aliquanto utilius esse quam nimia Benseleri liberalitas, qui quoniam probabilis emendatio in praesens non suppetebat, totum membrum: ὡς δὴ τοῦ θεοῦ ἕξοντος αὐτὴν exterminandum censebat, ut ab interpolatore turpiter adsutum, praesertim cum in loco gemino Quaestionum

*) Ita etiam εὖ de re mala dici et ratio evincet et Schaeferus ad Demosth. p. 218, 5 ut apud Xenoph. Anab. VI, 1, 1: ἐκλώπευον — εὖ μάλα. Ceterum eodem modo corruptum legebatur olim Aeliani Fragm. (66) apud Suidam s. v. Ἀφροδίσιον: ὁ δὲ διῆλθε τῷ λόγῳ φιλοτίμως τε καὶ σὺν ἀφροδίτῃ εὖ μάλα περιττῇ, ubi fuit οὐ μάλα. Cfr. Schaefer ad Dionys. de comp. verb. p. 26.

nihil huiusmodi ab auctore esset subiunctum, qua in re quam infirmis usus fuerit argumentis adcuratius demonstrare supersedeo. Tam igitur miserum scriptorem censebimus Plutarchum, nihil ut variare potuerit in verbis? Nisi forte Plutarchum in his rebus adeo verecundum fuisse putemus hominem, ut qui in succincta Quaestionum narratione religiose tacuerit celanda, quae neque apud omnes sancta sunt ac qualia essent celare potuerunt neminem *(καὶ κατέκλινεν ἐν τῷ ἱερῷ καὶ τὰς θύρας ἀπιὼν ἔκλεισε)*, per Vitarum opportunitatem, in quibus in latiorem et ornatiorem disserendi viam exspatiari solet auctor, effando oculis quasi subicere noluerit? Apage tam incredibilia: cum praesertim praeter hiatum, qui nullam admittere videatur excusationem, non nulla sint in his Plutarcheis, quae sane mirandum est quod sicco pede transierint interpretes. Quid enim? Cum duplex curetur cenula, altera lautior Herculi, altera magis plebeia, ut suspicari lubet Larentiae adposita, equidem nullam prorsus probabilem expiscari possum causam, cur tandem aedituus strato demum lectulo et *post cenam comesam* incluserit Larentiam, quippe per noctis silentia Herculis adventum exspectaturam; cum praesertim concedendum sit, quod proximum esset invitationis munusculum, iam supra satis superque indicatum videri aoristo *εἱστίασεν*. Accedit quod si aedituus, ut nunc est res, inepto prorsus pondere *post cenam Larentiae adparatam* templi portas obclusisse dicatur, nulla reapse opinor de Hercule commentandi restat via, nisi ut deum epulis peculiariter paratis ac nullo praeterea adhibito hospite, theoxeniis quasi solitariis usum fuisse putemus. Id autem neminem fugit quam a tota fabulae indole, qualem antea descripsimus, abhorreat; quae hanc potius si quid video requirit humaniorem tanquam epularum rationem, ut Larentia Herculis conviva in cenae communionem, qua prolusum fuerit „ceteris quae nescit", adscita fuisse declaretur. Ita enim omnis narratio et perspicua et sibi constans prodit. Restare videri posset non nihil offendiculi propter verba *ὡς δὴ τοῦ θεοῦ ἕξοντος αὐτήν*, quae meo quidem sensu post praecedentia nescio quid habent ieiuni atque prope dixerim hiulci, quasi quempiam ignorare posse crediderit auctor, ad quemnam usum includeretur scortum vel cuiusnam lubidines ex composito expleturum esset. Sed

ut largiamur haec suam suo loco fortasse habere veniam, tamen cum eadem verba certissimam in fronte quasi gerant corruptelae notam, ampliore abstinendum videtur disputatione, quandoquidem si semel inventa fuerit probabilis praecedentium verborum explicatio, tutior etiam hiatus removendi temptabitur via. Eamque ipsam in viam nos ducit Macrobius, luculentus in his tenebris dux, a quo eosdem cum Plutarcho in hac parte adhibitos videri auctores supra verbo monuimus. Quamquam eum fatendum est non ita quidem pendere a fontium auctoritate, qui non in rebus secundariis, veluti in ea parte quae est de modo talos iaciendi, suo arbitratu variaverit, quandoquidem veri similiore narratione maiorem etiam fabulae veri speciem se conparaturum sperabat. Is enim de hac re ita exponit l. l.: ferunt regnante Anco aedituum Herculis per ferias otiantem deum tesseris provocasse ipso utriusque manum tuente, adiecta condicione, ut victus cena scortoque multaretur. Victore itaque Hercule illum Accam Larentiam, nobilissimum id temporis scortum, intra aedem *inclusisse cum cena* eamque postero die distulisse rumorem, quod post concubitum dei accepisset munus, ne commodum primae occasionis, cum se domum reciperet, offerendae aspernaretur. Evenisse itaque, ut egressa templo mox a Carutio capto eius pulchritudine conpellaretur: cuius voluntatem secuta adsumptaque nuptiis post obitum viri omnium bonorum eius facta compos, cum decederet, populum Romanum nuncupavit heredem. Et ideo ab Anco in Velabro loco celeberrimo urbis sepulta est, ac sollemne sacrificium eidem constitutum etc. Sic ille: addam ego hoc tantum, aliquanto plus quam Macrobium simpliciori fabulae formae obfuisse S. Aurelium Augustinum, quippe philosophandi pruritu lectorumque indignationem movendi studio mirabiliter obcaecatum, ut qui nusquam nisi cum horrore quodam ad eiusmodi fabularum descenderit mentionem*). Ceteroquin conspirat is cum Macrobio in omni-

*) Non admodum religiose Christianos scriptores eiusmodi fabulas referre solitos esse, multis exemplis demonstravit Schoemannus de poesi theogonica Graecorum p. 13 = Opusc. II, 14, 20. Alia eiusdem generis interpolationis contagia monachorum culpa longe lateque serpsisse cum in aliis veterum scriptis, tum apud Plutarchum post Dorvill. ad Charit. p. 316 L., quem adlegavit Lobeck Aglaoph. p. 525, Cobet VL. p. 211 sq.,

bus quae ad suam rem pertinere viderentur, inprimis in ea parte narrationis quae est de cena scortoque conducendo, neglectis dumtaxat eis quae de templo obcluso apud vetustiores referuntur et paucis quibusdam aliis ad singulare consilium adiectis omissisve, de quibus adcuratius dicere nunc nihil adtinet, ut ne in hoc quidem scriptore plane oblitterata videantur vetustioris traditionis vestigia. Harum igitur cogitationum coniunctam si quis agnoverit vim, ei facile me persuasurum esse confido, illud haud contemnendum e Macrobi farragine erui, a Plutarcho olim scriptum fuisse non *μετὰ τὸ δεῖπνον* sed *μετὰ τοῦ δείπνου*, quibus Larentia ab aedituo cum lautiore Herculis cena, cuius ipsa mox futura esset compos atque particeps, inclusa fuisse significetur.

Quodsi recte emendatum est vel Macrobi beneficio restitutum, conveniens videtur uno verbo lectores edoceri, quam ob causam Larentia cum cena inclusa fuerit, potestque hoc percommode fieri, si proxima verba in hunc fere modum ab auctore profecta suspicemur: *ὡς δὴ τοῦ θεοῦ μεθέξοντος αὐτῇ*. Hinc verecundiorem etiam lucrabimur amatorii Herculis Larentiaeque convictus et mutuae quasi munerum officiorumque tributionis imaginem; quam nemo non videt aliquanto vividiorem esse, quam si deum solitarium nobis repraesentare cogamur Turcarum instar satrapae regie adcubantem, vel si Herculem exhausta demum peculiaris cenae lubidine ad lascivias cum Larentia exercendas sese accinxisse fingamus. Ceterum fons erroris in propatulo est; nam dici vix potest, quam saepe notissimum conpendium $\overline{ΘC}$, $\overline{ΘY}$ etc. vel ipsum scribas fefellerit vel vocabula iuxta posita detruncaverit (qua de re vid. Cobet NL. p. 10). Ad rem ipsam vero quod adtinet, nihil succurrit quod commodius conparare possim, quam Iosephi narratiunculam quantivis pretii in Antiq. Iud. XVIII, 3, 4 de flagitioso stupro a Mundo, equite Romano, Paullinae, Saturnini uxori, in fano Isidis, Anubidis dei quasi auspiciis et ipsis Isidis sacerdotibus manum locumque praebentibus, inlato, ubi post alia, quae nihil ad rem, sacerdotum Isiacorum natu maximus ad Paullinam intromissus:

Sillig ad Plin. n. h. XXXI, 23, novis quibusdam exemplis adstruere conatus sum in Quaest. Plut. III p. 43 sq.

πεμπτὸς ἔλεγεν ἥκειν ὑπὸ τοῦ Ἀνούβιδος, ἔρωτι αὐτῆς ἡσσημένου τοῦ θεοῦ κελεύοντός τε ὡς αὐτὸν ἐλθεῖν. Τῇ δὲ εὐκτὸς ὁ λόγος ἦν, καὶ ταῖς τε φίλαις ἐνεκαλλωπίζετο τῇ ἐπὶ τούτοις ἀξιώσει τοῦ Ἀνούβιδος καὶ φράζει πρὸς τὸν ἄνδρα, δεῖπνόν τε αὐτῇ καὶ εὐνὴν τοῦ Ἀνούβιδος εἰσηγγέλθαι. Συνεχώρει δ' ἐκεῖνος, τὴν σωφροσύνην τῆς γυναικὸς ἐξεπιστάμενος. Χωρεῖ οὖν εἰς τὸ τέμενος, καὶ δειπνήσασα, ὡς ὕπνου καιρὸς ἦν, κλεισθεισῶν τῶν θυρῶν ὑπὸ τοῦ ἱερέως, ἔνδον ἐν τῷ νεῷ καὶ τὰ λύχνα ἐκποδὼν ἦν, καὶ ὁ Μοῦνδος (προεκέκρυπτο γὰρ τῇδε) οὐχ ἡμάρτανεν ὁμιλιῶν τῶν πρὸς αὐτὴν, παννύχιόν τε αὐτῷ διηκονήσατο, ὑπειληφυῖα θεὸν εἶναι. Qua in narratiuncula facile quemque spero agniturum quanta sit cum vetusta fabula in relicua differentia externa saltem similitudo, in eo quoque conspicua quod simillimo hospitalitatis genere excepta fuisse traditur ficticii dei Anubidis conviva*).

Post longum deverticulum ad Plutarchum redeundum est, apud quem sequuntur dehinc haec verba: *καὶ μέντοι καὶ τὸν θεὸν ἐντυχεῖν λέγεται τῇ γυναικὶ καὶ κελεῦσαι βαδίζειν ἕωθεν ἐπὶ τὴν ἀγορὰν καὶ τὸν ἀπαντήσοντα πρῶτον ἀσπασαμένην ποιεῖσθαι φίλον. Ἀπήντησεν οὖν αὐτῇ τῶν πολιτῶν ἀνὴρ ἡλικίας τε πόρρω ἥκων καὶ συνειλοχὼς οὐσίαν ἱκανὴν, ἄπαις δὲ καὶ βεβιωκὼς ἄνευ γυναικὸς ὄνομα Ταρούτιος.* In his haud dubie vitiata sunt *πόρρω ἥκων* mirorque patienter tam diu concoqui potuisse foedissimum omnium hiatum et a Benselero et a Sinteni viro egregio, quicum multo saepius consentire quam dissentire velim. Ac poterat sane vocalium concursus commodissime removeri Pausaniae exemplo (X, 31, 9: *ἡ δὲ ἤδη τῆς ἡλικίας προήκουσα*) scribendo: *ἀνὴρ ἡλικίας τε προήκων*, vel, quod inprimis notabile, praeeunte ipso Plutarcho Alcib. 18 Sertor. 4: *ἀνὴρ ἡλικίᾳ τε προήκων*; in fre-

---

*) Deorum pulvinaria haud raro nefandis lubidinibus polluta esse, adposite Iliensium virginum exemplo, ante nuptias deo Scamandro *παρθενίαν* offerentium, explicavit Lobeck Aglaoph. p. 610 coll. Aeschin. Ep. X p. 681. Atque ipse Plutarchus, cuius gratia haec extra causam admonere placuit, eiusmodi quid innuisse videtur Symp. p. 682c. Cfr. Friedländer, Darstellungen a. d. Sittengeschichte Roms p. 295. Marquardt, Handbuch d. R. A. IV, 87. Preller, Röm. Myth. p. 728. Et quis ignorat quid Veneri Praxitelis Gnidi acciderit?

quentissimo tamen usu locutionis *πόρρω ἡλικίας ἥκειν* etc., a Platone ad posteriores transmissae atque altius defixae. quam ut exstirpare potuerit Byzantinorum aetas, e quibus adtulisse satis erit Procop. b. g. I, 3 p. 16, 20 *πόρρω που ἤδη ἡλικίας ἥκων*. I, 11 p. 61, 8 *ἡλικίας τε πόρρω ἥκοντα*. Ioann. Cinnam. Epit. p. 5, 1 M. *ἀνδρὶ πόρρω τῆς ἡλικίας ἥκοντι*, vereor ne verius locum per transpositionem emendasse videar hoc modo: *ἀνὴρ ἡλικίας τε ἥκων πόρρω* utiturque Plutarchus simili positura, eadem ni fallor hiatus fuga sancita, in vita Camill. 37: *γεγονὼς μὲν ἡλικίας ἤδη πρόσω*.

His subnectere lubet difficillimum locum ex Symp. IX, 14, 1 p. 743 d, in quo expediendo, quoniam nec codicum, nisi quando integriores opem tulerint, nec aliorum auctorum copiis adhibitis persanari potest, ad coniectandi aleam redigimur. Luxuriat ibi Plutarchus pro more in originatione Musarum nominum Calliopes, Polymniae, Euterpes indicanda ac vocabulorum significatione per interpretationes allegoricas inlustranda. De Polymnia — nam ceterae nihil ad rem — haec exponit: *ἥ τε Πολύμνια τὸ ἱστορικόν· ἔστι γὰρ μνήμη πολλῶν, ἐνιαχοῦ δὲ καὶ πάσας, ὥσπερ ἐν λείῳ, τὰς Μούσας Μνείας καλεῖσθαι λέγουσιν.* Qui in verbis corruptissimis *ὥσπερ ἐν λείῳ* loci nomen delitescere suspicati sunt, parum circumspecte egisse videntur; nam praepostera plane ni fallor eiusmodi nominis post *πάσας* esset conlocatio, et alia offensio haud lenior existit ex eo, quod parum credibile est Plutarcho rem adeo dubiam fuisse, ut postquam certo quodam loco Musas *Μνείας* nuncupari docuerit, admiserit tamen verbum *λέγουσιν*, quod ambiguam potius rerum narratarum redolet fidem. Nam ita qui loquitur ostendit, sese loci quo quid factum sit satis gnarum esse, nihilo tamen magis ipsam rem, quam alicubi factam esse statuerit vel audiendo resciverit, incerta quasi sede vagari atque parum esse compertam, quae, meum si sequor sensum, perversa est et inepta sententiarum conpositio. Ergo quoniam non talis animo informari posse videtur enuntiati conpositio, quae nomen urbis regionisve admittat, illud reapse vix mentione dignum, quod frustra adhuc quaesitum est loci nomen, cui iure suo adsignari potuerit iste Musarum cultus. Nec mirum; immo cum a nullo alio quantum meminerim scriptore de

Μνείαις relatum sit, magnopere verendum est, ne quale esse possit nomen loci in aeternum lateat, nisi casu quodam vel tituli alicuius indicio e latebris protractum fuerit. Nec, siquis forte haec utpote a solo Plutarcho tradita suspectat, desunt exempla aliorum scriptorum, peculiaria quaedam de Musarum numero earumque officio commenta memorantium. Ita, ut hoc utar, unius Cornuti, quem sane et alias novitatis speciem captasse reperimus, nititur testimonio, duas tantum apud quosdam inveniri Musas, quibus a considerando efficiendoque Theoria et Praxis nomina indita fuerint. Itemque, ut in Plutarcho me contineam, quod trium Musarum unam apud Sicyonios refert adpellatam esse Polymathiam, haud scio an nulla alius scriptoris adiuvetur fide. Ac similiter desideratur adhuc indicium alius auctoris, quo iure Plutarchus Musas Neten, Mesen, Hypaten a Delphis ad tres sphaeras significandas translatas esse non sine obscuritatis quadam affectatione tradiderit; quod quo tempore usu venerit quaeque trium harum Musarum fuerint nomina, non magis compertum est, quam quod idem solus Plutarchus, pro tribus disciplinis liberalibus philosophiae, oratoriae, matheseos, antiquitus tres Musas substitutas fuisse dixit, quae recens ficta sint an vetere quadam fama prodita non facile quisquam pro comperto dixerit. Quo magis inducor ad credendum, singulas Graeciae urbes, ut de aliis diis deabusque, ita de Musis peculiares quasdam ac proprias suas habuisse notiones (Creuzer Symb. III p. 295). Alia aliorum peculiaria, ut ad rem praesentem parum necessaria, sciens omitto ob sublestam auctorum fidem*). Quae cum ita sint, si sapimus, fateamur necesse est, nescire nos Musarum quae dicuntur *Μνεῖαι* sedes, cuius quidem ignorantiae illud gratissimum erit solacium, ipsum fortasse Plutarchum, quamvis sua saepe ex remotis oblitteratisque fontibus haurientem, non multo nobis in his rebus fuisse eruditiorem vel quemlibet unum e grege eorum, qui hic nomen loci undeunde extricare temptaverunt. Quare ne Amyoto

*) Adcurate de his similibusque Mythographorum de Musarum officiis earumque numero disseruit Petersen (Fr. Chr.), de Musarum apud Graecos origine, numero nominibusque (Münter, Miscellanea Hafniensia I p. 86 sqq.)

quidem monstruosum suum: „comme en lion“ invidebimus, nec credo quemquam Faehsii de hoc loco patrocinaturum coniecturis, quae, ut dicam quod sentio, febricitantis saepe videntur insomnia. Atque illud quidem per se ne a mythologiae quidem ratione abhorret, quod unius Musae nomen, Polymnia i. e. *πολλὴ μνεῖα* secundum Plutarchi veriloquium, ad omnes transferri aliquando solitum fuisse docemur, cum, ut verissime monuit Godofredus Hermannus (de Musis fluvialibus Epicharmi et Eumeli Opusc. II p. 300), quae origine, muneribus, officiis cognata sunt, per se nihil vetare videatur quominus cognatis nominibus adpellentur. Ita, ut hoc utar, Parcae Clothus sororis haud dubie in semet conciliasse videbantur naturam, cum dicerentur *Κλῶθες*, sive, quod incertius est, *Κατακλῶθες* apud Homer. Od. *η* 197 (cfr. Buttmann in Misc. crit. II p. 3 p. 504 et Nitzsch ad Odyss. l. l.) vel *Κλωθῶες ἅρπυιαι-μέλαιναι* apud Marcellum in Brunck. Anal. II p. 302, quibus conparare lubet, quod *Ἀχελῷος* apud Graecos veteres in augurali disciplina de omni fluviorum aqua dici solebat, qua de re luculentus est testis Ephorus ap. Macrobium Sat. V, 18, 6 *τοῦ Ἀχελῴου τὴν ἰδίαν ἐπωνυμίαν ἐπὶ τὸ κοινὸν μεταφέροντες* conl. Hermanno l. l. p. 304 et Lobeck Aglaoph. p. 883, vel quod eadem licentia *Ἄναυρος*, Thessaliae flumen, de quolibet torrente occurrit, quamquam in hoc, quod referendum est ad *ναύειν* = *νάειν* (Lobeck Rhem. p. 27 n. 46 Meineke ad Callim. p. 49), pronior erat ad abusum via*). Potest autem videri ista Musarum denominatio quammaxime Pythagoreorum gratia resuscitata esse, quibus praeceptum fuisse constat *τὴν μνήμην ἀσκεῖν* s. memoriam colere (Lobeck Aglaoph. p. 732 sq.), ut non inmerito *Μνειῶν* Musarum nomen antiquioribus ignotum, a Pythagoricis demum invectum et mythologiae quasi insertum suspiceris, ut ipsae tanquam Musae huic doctrinae viderentur praelusisse**). Ac nescio an eadem

---

*) Hoc schematis genus (*ἐκ μέρους τὸ πᾶν* vel *εἶδος ἀντὶ γένους*) adcurata ut solet doctrina tractavit Lobeck Rhem. p. 334 sq.

**) *Πάντα διὰ μνήμην διασώζεται ἀνθρώποισιν* Orph. Apospasm. XXVIII, 18 p. 487 H., quemadmodum Herod. II, 77 Aegyptios praedicavit quippe *μνήμην ἀνθρώπων πάντων ἐπασκέοντας μάλιστα*, quamquam non nescius sum haec ab aliis aliter explicari. Cfr. Lobeck Aglaoph. p. 732 sq.

Musarum adpellatio, quamquam a nullo alio quantum scio scriptore significata, eo quoque videatur quodammodo confirmari, quod apud Ovidium Met. V, 269 Musae nominantur *filiae Mnemonides*, quod metronymicum videbatur Lobeckio l. l., derivatum a *Μνημώ*, matre Musarum, illo nomine adpellata ab Orpheo, teste Olympiodoro ad Phileb. ap. Stallb. p. 278 aliis, quod nomen recentior mythorum fabrica consulto adulterasse videtur in *Μνήμη.* Ad similem rationem apud Hyginum p. 13 ed. Stav. Musae audiunt Iovis et *Monetae* filiae, quam *Monetam* eandem esse ac *Mnemosynen* disertissimo Livi Andronici ap. Prisc. p. 221 K. evincitur testimonio. Quamquam rursus uni trium Musarum, quarum cultum Aloidae in Helicone instituerunt, Mnemen nomen inditum fuisse auctor est Paus. IX, 29, 2. Sed haec conpilare nihil opus est, cum praesertim, quicquid praeterea dici potuit, subtilissima Lobecki disputatione occupatum videam. Ita nihil profecto inpedit, quominus vel deficientibus testimoniis Musas *Μνειῶν* nomine a quibusdam Graecis, alias aliter in fabulis fingendis diffingendisque hariolantibus, insigniri potuisse opineris, quandoquidem eiusdem rei, si non argumentum plane certum, at indicium habemus ni fallor haud spernendum illud, quod Musas reperimus invocari aliquotiens apud Homerum, quippe sollertes memoriae administras, quae nulla esset

εἰ μὴ Ὀλυμπιάδες μοῦσαι, Διὸς αἰγιόχοιο
θυγατέρες, μ ν η σ α ί α θ' ὅσοι ὑπὸ Ἴλιον ἦλθον

(B 491 sq.). Quae cum ita sint, non videtur ambigendum, quin in corruptis vocabulis *ὥσπερ ἐν λείῳ* lateat aliquid, quod quo iure totus Musarum chorus *Μνεῖαι* cognominatus vel unius Polymniae nomen ad omnes relatum fuerit, per translationem aliquam indicet; idque Platonica locutione: *ὥ σ π ε ρ ἓ ν τ έ λ ε ι ο ν* (cfr. Parmenid. p. 157e *ἐξ ἁπάντων ἓν τέλειον γεγονός)* expressum fuisse puto, quod et litterarum magnam cum illo altero similitudinem habet et eo quoque videtur quodammodo tutum praestari, quod Plutarchus Musarum numeri interpretationem paullo infra stabilire conatur subtilioribus quibusdam de numerorum convenientia conclusiunculis, in quibus rimandis explicandisque veteres mythographi et omnium maxime Tzetzes mirifice sibi placuerunt (cfr. Osann ad Cornutum p. 44 sqq.). Quemadmodum in loco inprimis notabili

Cornuti de nat. deor. c. 14 novem vel tres etiam fuisse narrantur Musae propter novenarii vel ternarii numeri *τελειότητα*, ut qui deo ipsi adtribuatur vel quod tribus speculationum generibus philosophiae ratio perficiatur (cfr. Petersen l. l.). Quod si talis qualem coniecimus fuit Plutarchi sententia, in propatulo est eum dixisse: Polymniam sibi sumpsisse historicum munus; esse enim illam *πολλῆς μνείας* (cfr. infra cap. 7: *ἡ δὲ Πολύμνια τοῦ φιλομαθοῦς ἐστι καὶ μνημονικοῦ τῆς ψυχῆς)* seu multarum rerum memoriam; aliquotiens tamen etiam Musas omnes, *tanquam perfectam unitatem,* munerum consortio arctissime coniunctas *Μνείας* adpellatas esse etc. Illud autem nemo mirabitur aut vituperabit, quod Plutarchus quo loco usu venerit illa Musarum denominatio vel a quonam scriptore adhiberi coepta sit, disertius commemorare supersederit. Est enim quaedam apud Plutarchum in his rebus ponendis omittendisve neglegentia. Ut igitur in his quae credebatur esse praepositio *ΕΝ*, genuinam expulisse videtur vocem, quo facto quam proclive fuerit praesertim in loco mutilo dativum adscribere qualemcunque, neminem fugit, ita in aliis locis *εἰς* quod scribebatur ЄIC, cum semel corruptum esset in *ἐκ*. passim graviores etiam turbas procreavit. Affatim est ubique exemplorum in scriptore quolibet. Nunc simili modo per harum pagellarum opportunitatem iuvat memorabilem *Achillis Tati* locum inepta scriptura liberare, in qua emendanda et priores editores et acutum Hercheri iudicium frustra desudarunt.

In descriptione crocodili IV, 19 haec leguntur: *οὐρὰ (κροκοδείλου) μακρὰ καὶ παχεῖα καὶ ἐοικυῖα στερεῷ σώματι. Οὐ γὰρ ὡς τοῖς ἄλλοις περίκειται θηρίοις, ἀλλ' ἔστι τῆς ῥάχεως ἓν ὀστοῦν τελευτὴ καὶ μέρος αὐτοῦ τῶν ὅλων.* In his illud quidem recte intellexit Hercherus, qui nuper hos libros eruditissime emendatos edidit, pro *περίκειται* requiri *ἐπίκειται*, in ceteris perpurgandis nihil se praestare posse fassus. Et sane quae ab aliis ad hunc locum sanandum adhibitae sunt medicinae, probari non possunt. Nam Schneideri *τῆς ῥάχεως ἐνοστέον* videtur nobis sententiam loci corrumpere; nihil enim profecto facit ad caudam crocodili describendam, quod spinam ex uno osse constantem sibi informaverit auctor, id quod recte significaretur de ipsa cauda,

qua cum solido corpori similis sit (*ἐοικυῖα στερεῷ σώματι*), crocodilus in praeda uno ictu ferienda pro flagello uti narratur. Magis etiam mireris Achillem Schneidero adeo harum rerum visum esse inperitum vel male consultum, ut spinam ex uno potius osse quam ex arcta vertebrarum conpage constare opinatus fuerit. Nimirum cum qui totum hunc locum exscripsit Eustathius in Comment. ad Hexaem. p. 21, haec ita coarctaverit: *τῆς ῥάχεως γάρ ἐστιν ἑνὸς ὀστέου τελευτή*, hoc satis causae fuit ad creandam istam emendationem, qua vix quicquam inprobabilius excogitari posse credo. Manifestum enim tenemus errorem conpilatoris, qui quae ipsi vitiosa videbantur, pro captu suo corrigere temptabat, qua in re cum parum profecisset, proxima verba *καὶ μέρος αὐτοῦ τῶν ὅλων*, utpote sensu cassa, omisit et ita ex sanabili vulnere ulcus fecit longe malignius, quod, si Eustathius unicus huius narrationis esset fons, curari plane non posset. Similem viam Iacobsius iniit, inepta ratus extrema verba; nullum enim esse animal, quod cauda sit praeditum, cuius cauda non sit pars *τῶν ὅλων*, quod quam belle dixerit, neminem vel sine testimoniorum fide latet, ne philologum quidem ceteroquin non ita libenter crediturum. Sed in eo quidem quod rescribendum duxit *καὶ μέρος αὐτῶν τῶν νώτων* neque Herchero neque mihi persuasit. Mihi enim vix videtur Achilles post ea quae praecesserint de spina, statim otiosum genetivum *τῶν νώτων* additurus fuisse, cum satis esset scribi *καὶ μέρος αὐτῆς* (sc. *τῆς ῥάχεως*), ut taceam ne recte quidem caudam dictam videri dorsi partem. Quid plura addam? Ultro cogitationi occurrit, Achillem scripsisse *ἀλλ' ἔστι τῆς ῥάχεως εἰς ὀστοῦν τελευτὴ καὶ μέρος τῶν σπονδυλῶν**) et *αὐτοῦ* post *μέρος* librariorum deberi lubidini**), ut sensus

*) *Σπονδυλῶν* scripsi quod haec forma Achillis aetati convenientior videbatur; cfr. Meineke ad Stob. Ecl. phys. I. p. 158, 27, ut qui apud Athen. p. 206 a. eandem formam praetulerit.

**) Sexcenta id genus additamenta, siquis hoc agit, etiam apud Achillem invenire (de Plutarcho dixi Quaest. Plut. II p. 46 sq. et Sintenis de hiatu p. 352) nullo negotio poterit. Ita, ut in ea me nunc parte contineam, quae ad pronomina perperam adiecta pertinet, rectissime Hercherus I, 16 in verbis *καὶ ἐπιστᾶσα τῷ ταῷ κατ' αὐτήν*, duo postrema ad marginem relegavit, item suo iure exturbavit pronomen p. 134, 10; p. 147, 3; p. 163, 6; p. 174, 12.

sit: *cauda crocodili pars est spinae in os desinens* (das knöcherne Ende der Rückenwirbelsäule) *et vertebrarum pars,* quarum numerum sexaginta esse scite indicavit Aelian. de n. a. X, 21 (*σφονδύλους ἔχει ἐπὶ τῆς ῥάχεως ἑξήκοντα*). Adparet autem Achillem caudam crocodili nilotici, in qua habes, nisi quid peccavimus numerando, vertebras triginta quinque*), ex una quasi ossium conpage constare credidisse, quod quo iure putaverit testatum facit Geoffroy Saint-Hilaire in Déscription de l'Egypte Tom. XXIV p. 425: bien que formée de vertèbres en même nombre et aussi distinctes que chez les mammifères, la colonne cervicale est privée de mobilité. Cet état de choses est causé pour chaque vertèbre par des apophyses multipliées, longues et rapprochées. Leur enchevêtrement fait de toutes les vertèbres une tige resistante, ne pouvant non plus se fléchir *que si c'était un os unique.* Quod si recte expositum, apertum est etiam, quo iure Achilles caudam crocodilo aliter atque ceteris animalibus (Aristot. de part. anim. IV, 10 p. 293, 29 Paris., quibus concinit Plin. n. h. XI, 50, 264) trunco adnexam significaverit. Cogitavit enim crocodilorum, ut lacertarum, caudas cum relicuo corpore totum quasi aliquod efficientes, aliorum contra animalium ex vertebris multo teretioribus minutioribusque eisque extrema in parte ex cartaliginosa plerumque materia formatis constantes, unde consequens est ut ad violentiam ab externis iniuriis eludendam multo sint hebetiora. Reperta igitur ut videtur apud Achillem vera scriptura, non inutile erit animadvertere, quomodo turpata codicum lectio nata sit. Nempe in archetypo difficillimo lectu ac madore situve corrupto, hoc tantum super erat *ΚΑΙΜΕΡΟϹΤΩ* . . . . *ΥΛΩΝ*, quod monachus festinans admodum, utpote in libro ipsi interdicto, ac parum sollicitus de singulorum apicibus evanidisque litterarum ductibus extricandis, praesertim in libro ad delectandum conposito (Iacobs Proleg. ad Achill. Tat. p. XLVII), pro captu suo emendatoris partibus susceptis

*) Qui tanquam cum pulvisculo rem exhaurire vult, etiam adcuratius id discere poterit a Schneidero hist. amphib. Fasc. II p. 65: Vertebras in sceleto *Siamensis* crocodili Iesuitae 62 numerant, quarum sex, gemina furca simili furcae gallinarum, in tertio iuniore animali simplice, fultas collo, 11 dorso, 8 ossi sacro, reliquas caudae tribuunt. Alii ut Gallus Diverney in crocodilo suo vertebras numerat omnino 59, caudae 33.

redintegrare conabatur. Memorabile huius neglegentiae exemplum, unde statim discas, quam ridicula sit anilis ista scribarum superstitio, in promptu est in Cod. Flor., cuius scriba I, 10 *πρωτονίμων* posuit pro *πρωτοκύμων* et II, 17 pro *κατὰ σαραπτὴν* monstrum peperit *ἰοδραπτα* (Iacobs l. l. p. LI, 60).

Ut autem in codicibus *ἐκ* et *εἰς* describentium socordia temere mista sunt, adeo ut aliquotiens *ἐκ* inter scribarum manus cum quarto casu iungi videas, quemadmodum factum est in cod. Palat. 283, ubi in libello de occulte viv. 4 pro *εἰς τεσσαρακοστὸν ἔτος* exaratum vides *ἐκ τεσσαρακοστὸν ἔτος**), ita prorsus perinde est in clausulis vocabulorum utrum $\overline{ων}$ an $\overline{ως}$ ex libris proferatur, quae uno paene eodemque compendio scribi nemo ignorat, qui librorum testimonia oculis semel usurpaverit. Ingens inde in veterum scriptis pullulavit errorum soboles, et qui conpererit, quam mirifica in hoc genere sit et vitiorum constantia et remediorum aequabilitas, facili negotio quidquid aegrum est, inter legendum fere sanabit.

Unum adiciam exemplum e vita Demetri, ubi cum cap. 5 parum apte ut opinor Demetrius iuvenis *πρῶτον αὐτοτελῶς ἐπὶ πράγμασι μεγάλοις ἁπτόμενος* post cladem in pugna Gazensi acceptam dicatur *καὶ πάθος οὐ μειρακίου παθὼν ἐν ἀρχῇ π ρ ά ξ ε ω ς ἀνατραπέντος*, in editione Didotiana e mea coniectura, cui nemo obtemperavit, scripsi *π ρ ά ξ ε ω ν*, idque nunc postquam permittente Friderico, magno duce Badarum, iteratam codicis Palatini 283 ob *res quasdam minimas* parum olim curatas, institui conlationem, frugis sane non prorsus expertem, planissime confirmatum cognovi. Ac videtur sane iste codex, quem in scriptis moralibus, etsi in communi secta quodammodo excellit, ad peiorum intellexi descendere pravitatem, ut in hac certe parte relicua sua laude plane indignus censeri debeat, in vita Demetri nescio quo casu non ea qua par erat conlatus esse religione. Nam quamquam etiam, ut apertius dicam — graeca enim res est nihil velare — in aliis vitis partim graviores quaedam discrepantiae editorum fugerunt diligentiam, partim quae enotatae sunt lectiones ambigue scribendo hic illic obscuratae sunt, tamen in nulla vita magis videtur dolendum, quod aliquan-

---

*) Hinc merito suspicari licet, codicem descriptum esse ex libro litteris quadratis exarato.

tisper laxaverit conferentium cura, taedio sane plenissima, quam in vita Demetri. Nimirum quamvis multiplici in vitis virtute excellat codex, tamen, cum non ex uno aliquo exemplo repetitus sed ex duobus tribusve concinnatus videatur, ut similem fere mea sententia atque Parisinus 1676 originem habeat ac naturam, manifestum est, non eum totum tanti faciendum esse. Sit optimus in aliis, quarum sincerius exemplum qui eum conscribebat nactus erat, in aliis certe minus est laudabilis et cautius usurpandus.

Ita, ut specimen ponam, nam de ceteris vitis, quoniam eam molis accessionem hic libellus non recipit, alius erit disserendi locus vel mihi vel alii, qui meis uti velit conlationibus, in cap. 19 eiusdem vitae, quod a Sinteni iuxta cum Schaefero sanissimo iudicio requirebatur *γεγονὼς ἔτη τῶν ὀγδοήκοντα* omnibus apicibus extat in codice. In eodem inciso pro volgato *μεγέθει δὲ καὶ βαρύτητι σώματος μᾶλλον ἢ διὰ τὸ γῆρας ἐπὶ τὰς στρατείας γεγονὼς δυσπαρακόμιστος* codex praestat *ἐπὶ τὰς στρατηγίας*, quod si non recipiendum at certe notandum erat. Item in cap. 44 unus vetus Palatinus feliciter servavit *καὶ τοῦ λόγου ταχέως εἰς τοὺς Μακεδόνας ἐκπεσόντος*, ubi quod libros novicios obsidet *ἐμπεσόντος*, licet per se sine magna sententiae inclinatione stare potuisse non negaverim (cfr. Sintenis ad Themist. p. 40 et Schoemann ad Cleom. c. 33, 1., quamquam quod egregii hi interpretes de compositorum cum *ἐν* et *ἐκ* discrimine acute disseruerunt, e Plutarcheis certe exemplis non prorsus consequitur), nunc cum *ἐκπεσόντος* a libro tam spectatae fidei oblatum sit, utique praeferendum est. Cfr. Cleom. 5 *ὥστε καὶ περὶ Ἀράτου φήμην ἐκπεσεῖν εἰς τοὺς Ἕλληνας* conl. Anton. 75. Eodem iure c. 11 in verbis *καθάπερ οἱ Πυθοῖ τὰς Ὀλυμπίαζε τὰς πατρίους θυσίας ὑπὲρ τῶν πόλεων ἀνάγοντες ἐν ταῖς Ἑλληνικαῖς ἑορταῖς* ex eodem codice edendum erit *ἀπάγοντες* ut Mor. p. 160 c *τῷ Ποσειδῶνι θυσίαν καὶ θεωρίαν ἀπάγων* (simplex usurpat in Nic. 3 *τὴν θεωρίαν ἦγεν*), Symp. p. 628 f *τὴν ἐπινίκιον καὶ πυθόχρηστον ἀπῆγον Αἰαντίδαι θυσίαν εἰς Κιθαιρῶνα* et ex Wyttenbachi copiis ad Mor. p. 160 c congestis Aristid. I p. 25 *θεωρίας ἀπαγόντων τῷ τε Ποσειδῶνι καὶ τῇ Ἀμφιτρίτῃ*, quem praeivit Plato Phaed. p. 58 b *θεωρίαν ἀπάξειν*. Ac

videtur sane Plutarchus in hac phrasi nusquam verbum *ἀνάγειν* admisisse, quamquam alios veluti Herodotum concedendum est nullo intellectus discrimine frequentare alterum. Sed huius etiam rei summum opinor arbitrium esto penes veterem codicem Palatinum, ut c. 50 post ea quae adnotaverunt Sintenis ad Themist. p. LI alii alias, nemo poterit ambigere, quin genuina codicis lectio sit *σκηνήν τε πηγνύναι βασιλικὴν ἐκέλευε* pro volg. *ἐκέλευσε*, itemque in vita Antoni c. 77 ex eodem codice in verbis *προθύμως ἐκέλευσεν* scribi malim *ἐκέλευε**).

Cetera levioribus quibusdam omissis per saturam commemorare lubet; quamquam tenuissima quaeque in hoc libro quantivis pretii summa cum cura persequenda esse, ut alii examinare possent, omnes codicis scripturas hic adscribere debueram; sed his ex parte posthac usurus sum. Cap. 6 praebet

---

*) In eadem Antoni vita c. 9 p. 920 a in verbis *εἶτα πρωῒ τοῦ δήμου καλοῦντος εἰς ἀγορὰν προελθών* ex Palat. corrige *παρελθών*; itemque quod a Sinteni cap. 42 ex Pseudo-Appiano receptum est *προσβάλλοντας* pro aoristo distincte legitur in Palat.; quod ego olim in cap. 45 ex uno alterove libro Parisino scripsi *ἀπολισθάνοντος* subministrat etiam Palatinus, ut paullum absit, quin nunc faciam cum Cobeto, qui alteram formam, utpote nulli veterum cognitam, plane proscripserit (VL. p. 25 et passim Dindorf ad Lucian. II p. 6 Hercher ad Achill. Tat. p. 51, 23). Enimvero si quis multitudinem locorum contrariorum, laetius nimirum in scriptis moralibus pullulantium quam in vitis (cfr. Quaest. Plut. II p. 4), pertimescat, is verecundari desinet, si meminerit Plutarchi codicem qui vetustior esset saeculo decimo vel undecimo — nam de cod. Florent. plut. LXIX cod. 13 palimpsesto, quem obiter inspexit Cobetus (cfr. Praef. ad Diog. Laert. p. II) et si satis memini nuperrime etiam Hercherus, parum liquet —, adhuc inventum esse nullum, ut plurima harum stribliginum librariis tribuenda videantur, qui, in sordibus effetae graecitatis volutati, cum aliis vitiis etiam hos errores in Plutarchi libros transfuderint. Prorsus nova sunt in cap. 4 *τοὺς Ἀντωνίου ἀπ' Ἄντωνος*, c. 6 *διαβαίνει* pro *διαβαίνειν*; c. 7 *ὥςσθεν* (sic!) *ἐργῷ* pro *ὡς ἐνεργῷ*, c. 21 *τῷ Βρούτῳ νεκρῷ* cum uno alterove ni fallor Parisino, c. 29 *Κανοπίταις*, non ut notatum est *Κανωπίταις*, c. 33 exeunte *καὶ διαλαμβάνων τοὺς νεανίσκων ἐτραχήλιζεν*, c. 37 de *ὃν* post *τὸν Ἰουδαῖον* nihil conparet, c. 41 *τοξεύμασιν οἵ δή*, c. 48 pro *ἅμα δ' ἀπήγγελλον* legitur *ἐπήγγελλον*, c. 56 pro *προείρητο πέμπειν* praestat *προήρετο π.*; c. 61 ad verba *ἱππεῖς δὲ παραπλήσιοι τὸ πλῆθος* altera manus margini adscripsit *γράφεται τὸν ἀριθμόν*, in eodem capite margo habet *σαλούλας* non *ιαλούλας*, c. 66 med. omittit *καὶ* post *ὁρῶντες*; c. 70 legit *τῆς τῶν Χοῶν ἑορτῆς οὔσης*, vere an perperam nunc non disquiram; c. 82 articulus ante *Ὄλυμπος* item deest in Palatino etc.

ἀγωνιεῖσθαι non *διαγωνιεῖσθαι,* ut falso notavit Sintenis; quod cum scribo non esse verendum puto, ne de praeclara egregii viri laude quicquam detrahere inreverentius videar. C. 7 articulum iuxta cum ceteris omittit ante *Καύκασον* delevitque eum Sintenis cum eisdem libris in conp. Demetri et Antoni c. 1; cap. 8 pro volgato *προαισθομένου μὲν οὐδενός* legitur *προαισθομένου μηδενός* et praeter hoc nihil; c. 9 item Palatinus praebet *ἐβούλετο;* cap. 12 scribit *περὶ δὲ τοὺς βωμοὺς ἐκείνων* omisso articulo ante *ἐκείνων;* eodem inciso subministrat non ut Sintenis notavit *ἐν χλόῃ κατέφθειρεν,* sed *ἐν χ. διέφθειρεν,* quod nemo spreverit; c. 18 in verbis *καὶ αὐτοὶ βασιλέα τὸν Πτολεμαῖον* omittit articulum; c. 19 *ἤμελλε* invenitur etiam in Palat. ut c. 20 *τοῦ θαρρεῖν;* c. 20 codex sollemni commutatione quippe per omnes libros disseminata habet *τορνεύοντες,* margo pallidiore nunc propter vetustatem atramento et ab alia ni fallor exaratum manu, quae tamen saeculo XII non posterior videatur, *τορεύοντες;* c. 22 legitur *εὐρώστως δὲ τῶν Ῥοδίων ἀμυνομένων* om. *καί.* In eodem capite codex falso narratur habere *τοῦ πατρὸς εἰκόνας ἂν ἐμπρῆσαι*, cum potius scriptum sit *τοῦ πατρὸς ἂν εἰκόνας ἐμπρῆσαι,* quod nescio an praestet, cum praesertim in *τοῦ πατρός* maius reapse sit momentum; itemque c. 28 solus scribit *ἐκ κωμικῆς σκηνῆς πάλιν εἰς τὴν τραγικὴν μετάγουσιν,* ut extremo cap. 29 *ἀπολειπόντων* pro volg. *ἀπολιπόντων* et initio c. 34 *οὕτως μὲν οὖν τῆς πόλεως ἐχούσης,* quod reponendum arbitror; c. 41 pro *ἐνορῷτο* vitiose ut in aliis sed accedente novo mendo legitur *μὲν ὁρῷ.* Eodem inciso recte in Stephani Thes. Paris. s. v. *διάμιτρος* notatur, pro eo quod a Sinteni aliisque codicum obsequio editum sit *καυσίαις διμίτροις* in cod. Palatino extare *διαμίτροις,* quod verumne sit an falsum varie disseri potest. Ut tamen magis inclinet sententia ad *διάμιτρος,* quippe quod quamvis analogiae parum fortasse congruens atque insolenter conpositum nec significatus satis perspicui, ut alia conplura in huius modi rerum nomenclatura, diserta tamen Pollucis, quamquam de prostibulo explicantis (cfr. O. Mueller Archaeol. § 340), testatum facit enarratio Onom. IV, 153 *ἡ δὲ διάχρυσος ἑταίρα πολὺν ἔχει τὸν χρυσὸν περὶ τῇ κόμῃ· ἡ δὲ διάμιτρος μίτρᾳ ποικίλῃ τὴν κεφαλὴν κατείληπται,* a quo si iure conpositum

est διάμιτρος cum διάχρυσος, dubito an non alia suppetat ad probandum via, quam ut intellegatur de mitella versicolore vel etiam auro distincta, qua causia redimita fuerit in hunc modum, ut purpureus huius color per intervalla perluceret. Id certe multo mihi simplicius verique similius videtur, quam quod Sinteni aliisque placuisse suspicari licet, Demetri causiam duplice mitella (δίμιτρος) coronatam fuisse, quandoquidem Athen. XII p. 536 a de eadem Demetri causia distincte tradit μίτρα χρυσόπαστος ἦν, ἣ καυσίαν ἁλουργῆ οὖσαν ἔσφιγγεν ἐπὶ τὸ νῶτον φέρουσα τὰ τελευταῖα καταβλήματα τῶν ὑφασμάτων*) Ceterum in eadem varietate sunt, siquidem mendo carent, δίφαρος et διάφαρος ab Etym. M. notata, de quibus adcurate exposuit Schaeferus ad Greg. Corinth. p. 513.

Sed haec strictim transgressi sumus. Quod supra dictum est de clausularum depravatione, commodum me admonet loci, quem tractavi in Quaest. Plut. III p. 62 ex libello de amore prolis p. 497 b, ubi cum volgetur τὸ δὲ ὑπὸ τοῦ Εὐριπίδου (Phoen. 439 sqq.) λεγόμενον, τὰ χρήματ' ἀνθρώποισιν εὑρίσκειν φίλους δύναμίν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχειν, οὐχ ἁπλῶς ἀληθές, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ἀτέκνων· τούτους οἱ πλούσιοι δειπνίζουσιν, οἱ ἡγεμόνες θεραπεύουσιν, οἱ ῥήτορες μόνοις τούτοις προῖκα συνηγοροῦσιν, praepostere mihi dictum videri significavi, quod divites perhibeantur invitare homines item opulentos sed orbos caelibesque, quorum heredes fieri cupiant. Sed desperabam tum de emendatione; hodie paene pro certo affirmaverim ΠΛΟΥCΙΟΙ

---

*) Cfr. H. Weiss, Kostümkunde I, 269: Die Kidaris bestand, als auszeichnende Tracht des Darius in einer Art gesteifter, kegelförmig zugespitzter Mütze und einer darum gewundenen Binde, die durch ein spiralförmiges Zusammendrehen eines weissen und eines purpurnen oder blauen Bandes gebildet ward. Die Grundform dieser königlichen Zierden blieb lange Zeit hindurch ohne Zweifel die eines mit goldnen Reifen und Bindebändern ausgestatteten, steifen Hutes von verschiedner Höhe. Sie war es selbst noch während der persisch-griechischen Epoche. Auch Demetrios Poliorketes trug einen derartigen Hut mit goldgestickter Binde, deren Enden längs dem Nacken herabhingen. Similesque fuisse regum Assyriorum Babyloniorumque causias nuperrime edocti sumus; cfr. Aust. Henry Layard, Nineveh u. Babylon Lips. Tab. VII A. IX D. XI A., Weiss l. l. p. 201.

temere effictum esse ex *ΠΛΗCΙΟΝ*, ut in hunc modum scripserit auctor — *τούτους οἱ πλησίον δειπνίζουσι*, quo recepto sententia quidem iam adeo aperta est, ut nihil addi opus sit praeter gemellum locum inprimis notabilem apud Plaut. mil. gl. 705 sqq.:

Quando habeo multos cognatos, quid mihi opus est liberis?
Nunc bene vivo et fortunate atque ut volo atque animo ut lubet.
Nam mea bona meis cognatis dicam, inter eos partiam.
Ideo ut liberi me curant, visunt quid agam, ecquid velim:
Eos pro liberis habebo, qui mihi mittunt munera.
Sacruficant: dant inde partem mihi maiorem quam sibi,
Abducunt me ad exta, me ad se ad prandium, ad cenam vocant —
Bona mea inhiant: at certatim nutricant et munerant.

cfr. Friedlaender Darst. I p. 229 sq. Eodem loco incassum adstupui ad illud quod *κληρονομεῖν* p. 497 a dicitur de heredipetis, pro quo exspectari iudicavi *κλῆρον ἐκδεχομένους* vel *κλῆρον ποθοῦντας* (poteram addere *κλῆρον περιμένοντας* conl. Luc. dial. mort. 6). Sartum tectumque esse nunc intellego nudum *κληρονομεῖν*, ac plane gemellus est locus apud Petronium 116, 8 Buechl.: in hac urbe non litterarum studia celebrantur, non eloquentia locum habet, non frugalitas sanctique mores laudibus ad fructum perveniunt, sed quoscunque homines in hac urbe videritis, scitote in duas partes esse divisos; nam aut captantur aut captant; in hac urbe nemo liberos tollit, *quia quisquis suos heredes habet**) Nimirum omnia quae in illo loco a personato Plutarcho exposita sunt, Romanorum magis redolent nequitias; eodemque colore temperata sunt, quae de inportunitate liberorum commemorantur.

Per hanc opportunitatem ad quaestionum Plutarchearum particulam tertiam paucis reverti iuvat eorumque quae illic commentati sumus, aliquod supplementum subicere.

---

*) Notatu dignum puto Procopium eiusmodi heredipetas, Byzanti perinde atque Romae in possessiones aliorum praeter ius fasque grassantes, nominare *κληρονόμους αὐτομάτους* veluti hist. arc. p. 114, 4 *ἢ κληρονόμος αὐτόματος τοῖς τετελευτηκόσιν ἢ καὶ περιοῦσιν, ἂν οὕτω τύχοι, γενόμενος* conl. p. 79, 1 et inprimis p. 158, 1 *ἄμφω δὲ βασιλεὺς τὰς οὐσίας ἀφείλετο, κληρονόμος γεγενημένος αὐτόματος καὶ οὐδὲ τριώβολόν τινι τῶν νομίμων κληρονόμων προέμενος.*

Coniecturae quam p. 3 de Symp. VII, 5, 2 p. 705 a proposui ὥσπερ οἱ Κυρηναϊκοί pro inepto ὥσπερ αἱ γυναῖκες, iniuria opinor vituperatae a censore meo in Zarnki Ephemeridibus 1862 p. 820, ponduscululum adicit ipse Plutarchus in sept. sap. conv. p. 158 f ἀφροδισίων δὲ νύκτα καὶ πολὺ προβάλλονται σκότος. Ad p. 6 adde Verg. Moret. 74: Grataque nobilium requies lactuca ciborum; ad p. 7 de λάχανα ὠμά, quae Clementi in Paed. II p. 173, 35 P. pro λαχάνων ἔνια restitui, conferendus est Athen. IV. p. 140 b μᾶζα, ἄρτος, κρέας, λάχανον ὠμόν; p. 8 adde Themist. p. 261 c πᾶς ὁ ἐπὶ γῆς καὶ ὑπὲρ γῆν χρυσὸς ἀρετῆς οὐκ ἀντάξιος, ubi mihi non convenit cum Cobeto (Mnemos. 1862 p. 241) coniectante ὑπὸ γῆς; p. 10 commemorare debebam, phrasin φιλανθρώπως χρῆσθαί τινι ut aliis, veluti Diodoro, in deliciis etiam esse Plutarcho cfr. Alex. 44. Pomp. 9. Crass. 30 et contrarium ἀπανθρώπως χρῆσθαί τινι Pomp. 10. Quod non ita a me dictum intellegi velim, quasi nunc an non recte mota fuerit suspitio de loco Symp. VI, 8, 2 p. 694 c dubitarem, immo quotiens verba relego, graviores in dies de genuitate succrescunt scrupuli.

Quod p. 14 in loco Symp. II, 6, 2 p. 640 d pro ὥσπερ οἴκοθεν ἰχῶρας conieci ὥσπερ πισσώδεις ἰχῶρας nunc ipse inprobo. Vellem scriptum esset ὥσπερ ἑλκώδεις ἰχῶρας συνάγει, in quibus ἑλκώδεις sat profecto proclive erat corrumpi in οἴκοθεν, praesertim in loco mutilo. Conf. Symp. III, 1, 2 διὸ τῶν μὲν φύλλων ἀποσπωμένων οἷον ἀλγεῖ καὶ δάκνεται τὰ φυτά, καὶ γίνεται περὶ αὐτὰ βλάβη τις ἑλκώδης et de garrulit. p. 510 a ὡς γὰρ ἐν τῷ σώματι πρὸς τὰ πεπονθότα μέρη καὶ ἀλγοῦντα γίνεται φορὰ καὶ ὁλκὴ τῶν πλησίον. Pag. 21 adde Symp. III, 4, 3 (γυναῖκες) ὕλην μόνον καὶ τροφὴν παρέχουσι τῷ ἀπὸ τοῦ ἄρρενος, unde quin recte de loco plac. philos. V, 7 interpretatus sim, non dubitandum est. Ad ea quae p. 28 dixi de verbo ἀποσαλεύειν adice Pomp. 77 ἐπ' ἀγκυρῶν πρόσω τῆς χώρας ἀποσαλεύων. Pag. 29 ad verba δρόσου καὶ βοτάνης ἀνάπλεων καθαρᾶς, quae dixi poeticae dictionis aura contacta, nunc conferendus Plut. in Gryllo p. 990 c δρόσου τε καθαρᾶς καὶ λειμώνων ὀδωδότα καὶ χλόης et Dio Chrysost. XII p. 386 R. Pag. 31 adde similem synonymorum cumulationem in Coriol. 9 περιεπτύξατο καὶ κατησπάσατο et Anton. 70 ἠσπάζετο καὶ κατε-

φίλει. Sed omnem hanc de synonymorum apud Plutarchum cumulatione conpositorumque verborum adtenuatione quaestionem, ampliandam puto et exspectandum, donec finita digestaque erunt, quae in hunc usum confici coepta sunt conlectanea. Pag. 36 ad locum Clementis adde Manuelem Palaeologum apud Boisson. Anecd. II p. 284: *τί γὰρ ἄλλο τὸ γάλα εἴποι τις ἂν ἢ ἀνθρώπων αἷμα*, cui videri potest Clementis locus obversatus esse, ac similiter sanguis apud eundem Clementem Paed. I p. 121, 25 P. audit *ὑγρὰ σάρξ*; atque affini metaphora utitur etiam Dio Chrys. or. XXXV p. 45, 12 D. *(ποταμοὶ) ῥέουσιν ἐγγύθεν ἐκ λόφων, ὥσπερ ἐκ μαστῶν τῆς γῆς.* Pag. 37. Adde: quod Clemens mamillas nuncupavit *ὀρθούς* i. e. sororiantes, id optimo iure fecit; cfr. Procop. hist. arc. p. 67, 16 *παρθένον τινὰ καὶ τὸ δὴ λεγόμενον ὀρθοτίτθιον,* inlustratum etiam ab aliis. Ac similem prosopopoeiam ausus est Theophylactus hist. V, 4 p. 212, 2 *οὐκ οἶδε τὰ μετάφρενα νίκην θεάσασθαι.* P. 38 *ἅμα κοινός* coniunxit etiam Plutarchus Them. 13 *οἱ πολλοὶ τὸν θεὸν ἅμα κοινῇ κατεκαλοῦντο φωνῇ*, quibus conpono S. Chrys. p. 90, 23 *μία λείπεται πρόφασις αὐτοῦ μόνη*; sed credo adhuc Clementis locum in Protrept. II, 4 p. 194, 36 ex Plutarchi copiis corrigendum esse. Pag. 39 nimius fui, ut qui Clementem ex Plutarcho desumpsisse crederem *δίκην ἀλεκτρυόνος*, nam proverbialis haec instar locutionis promuntur, veluti apud Athen. III p. 127 a et passim cum apud Plutarchum (cfr. Mor. p. 794 c *δίκην ἀλεκτρυόνος ἀντᾴδειν*), tum apud alios, quorum quos adnotaveram locos satis multos, nunc incassum quaero. Pag. 46 ad locum Consol. ad Apoll. p. 107 f conf. Zonarae Annal. III, 13 p. 252, 6 in eiusmodi locutionibus ultra modum luxuriantis, de Holoferne vino consopito: *κατέκειτο καὶ ὕπνον θανάτου ὕπνωττεν ἀδελφόν.* Pag. 47 perdicem cicurem distincte commemoravit Parthen. 14 p. 317, 19 M. *πέρδικα τιθασὸν εἰς βαθὺ φρέαρ κατασοβήσασα*, quamvis quodammodo contra dicere videatur Artemidorus Onirocrit. II, 46 *(πέρδικες) δυστιθάσευτοί εἰσι καὶ ποικίλοι καὶ μόνοι τῶν ὀρνίθων θεῶν σέβας οὐκ ἔχουσι.* Pag. 53 adde: Aeliani *κρέας ἄσημον* de phantasmate dicere sibi permisit Procop. h. arc. p. 81, 3; de partu monstruoso, haud secus atque Aelianus *ἀτύπωτος*, Theophylactus hist. VI, 1 p. 241, 22 usurpavit *ἀδιατύ-*

πωτος. Ad ea quae exposui de loco Mor. p. 495 f adhuc conferendus est Aristot. ap. Stobaeum ecl. phys. I p. 185, 25 M.: *πολλάκις δὲ καὶ συγγενές τι πνεῦμα εὔκρατον ἐν γῇ παρεξωσθὲν εἰς μυχίους σήραγγας αὐτῆς, ἔξεδρον γενόμενον ἐκ τῶν οἰκείων τόπων, πολλὰ μέρη συνεκράδανε.*

Ad p. 8, ubi pluribus de vocabuli *ἄμικτος* et *ἀμείλικτος* (conf. Add. p. 68) disserui, adde Max. Planud. ap. Boiss. Anecd. II, 333 *καὶ πάντα ἦν αὐτοῖς (τοῖς ἀνθρώποις) πρὸς τὰ θηρία κοινά, τὸ ἄμικτον, τὸ ἀκοινώνητον, τὸ ἀμείλικτον* conl. Plut. Lyc. 15 *ἄμικτα καὶ ἀκοινώνητα*. Luc. v. h. I, 35 *γείτονες ἄμικτοι καὶ ἄγριοι*, quibus praeivit Plat. rep. VI p. 486 b *δυσκοινώνητός τε καὶ ἀγρία ψυχή**), unde profecisse videtur Themist. or. p. 254 b. Obiter moneo corrupta esse apud Themist. p. 254 a *ὁ μὲν α ἴ τ ι ο ς καὶ ἀπάνθρωπος τύραννος*, frustra temptata a Iacobsio, qui *ἄ γ ρ ι ο ς* optabat, non dissentiente Cobeto Mnem. 1862 p. 245; in propatulo est, sophistam dedisse *ὁ μὲν ἄ μ ι κ τ ο ς* (quod antiquitus scribebatur *ἄμεικτος* cfr. Cobet. NL. p. 476) *καὶ ἀπάνθρωπος τύραννος*. Nec deest levis suspitio, quin Symp. IX, 14, 7 p. 746 e in verbis *ἡ Θάλεια (τὸν ἄνθρωπον) κοινωνητικὸν ποιεῖ καὶ συμποτικὸν ἐξ αμου καὶ θηριώδους*, quod iusto audacius mutarunt in *ἐ ξ ἀ π α ν θ ρ ώ π ο υ*, quamquam pervolgatum est conpendium *ανου* pro *ἀνθρώπου*, primae syllabae defectus et *μῦ* littera, siquidem revera extat in cod. Vindob., aliud suadere videatur. Multo lenius certe correctum esset *ἐξ ἀ μ ί κ τ ο υ καὶ θηριώδους* conl. Pomp. c. 28 p. 633 d: *ἐννοήσας ὅτι φύσει μὲν ἄνθρωπος οὔτε γέγονεν οὔτ᾽ ἔστιν ἀνήμερον ζῷον οὐδ᾽ ἄμικτον*. Ceterum nimius videtur Cobetus (Mnem. 1862 p. 233), qui quae coniunxit Themistius p. 249 c *καθαρὸν καὶ εἰλικρινές* ex Plat. Phileb. p. 52 d adsumpta autumet; certe frequentatur eadem locutio Plutarcho, crebriore usu quasi sancita, veluti Mor. p. 928 f. (cfr. Iulian. Caes. 17 *τὸ καθαρώτατον καὶ εἰλικρινέστατον φῶς*), Anton. 13 *εἰλικρινῆ καὶ*

*) Cui fere opponitur apud Procop. h. a. p. 83, 1 *εὐπρόσιτος καὶ πρᾶος τοῖς ἐντυγχάνουσιν* (Anna Comn. p. 294, 1). Alias conponuntur *ἀπηνὴς καὶ ὠμός* S. Chrys. p. 447, 22, *ἄμικτος καὶ στυγνός* Eurip. ap. Stob. Floril. LXXXIII, 3 et quae sunt alia plurima; *τύραννος ἀπαραίτητος* ad veterum, inprimis Plutarchi exempla expressum, dixit Theophyl. hist. p. 85, 9 aliique multi cohortis byzantinae, qui pictis vocibus orationem colorare ament.

καθαρὰν ἀδικίας, conp. Dion. c. Bruto 3 τοῦτ' εἰλικρινές ἐστι τῷ Βρούτῳ καὶ καθαρόν (conl. Quaest. Plut. II p. 36), quem praeivit Theophrastus h. pl. I, 12, 2 πέψιν καθαρὰν καὶ εἰλικρινῆ et Philo de ebriet. p. 216 νοῦν εἰλικρινέστατον καὶ καθαρώτατον, ut nesciam an in tanta exemplorum aequabilitate in verbis Dionis Chrysost. Or. XXXIII, p. 67, 9 D. εἰ μὴ Μοῦσαί τε καὶ Ἀπόλλων ἐν θείῳ ῥυθμῷ τῆς εἰλικρινοῦς τε καὶ ἄκρας ἁρμονίας pro ἄκρας cum insigni sententiae emolumento substitui praestet καθαρᾶς.

Ad p. 24 (conf. Add. p. 68) ut magis etiam adrideat, quod ex Clemente Plutarcho restitui in vita Caesaris c. 19 τὰ μέλλοντα προὐθέσπιζον cum in codicibus exterminatum esset τὰ μέλλοντα, conferendus etiam Plut. Pomp. 32 τὰ μέλλοντα προδηλοῦν et Strabo XIV p. 676 τοὺς χρησμοὺς προθεσπίζουσι. Ac similiter dixit Procop. b. g. p. 157, 19 τὰ μέλλοντα προβουλεύεσθαι et Zonar. Annal. III, 8 p. 230, 11 τὴν δευτέραν ἐπιφάνειαν τοῦ σωτῆρος προθεσπίζειν et contra communem consuetudinem Clemens Alexandr. Paed. II, 8 p. 205 P. περὶ ὧν καὶ διὰ τοῦ ψαλμῳδοῦ προθεσπίζει τὸ πνεῦμα. In his aeque atque in ceteris tantum non omnibus subiungitur obiectum, cuius tamen omissio non prorsus inaudita fuit. Nec in tanta relicua noviciorum inconstantia, qui severioribus pristinae graecitatis legibus ubique reluctantur, haec aliaque plurima ad regulam redigi possunt.

Sed satis de his dictum, ad quae abripi nos passi sumus fortasse inconsideratius. Priusquam tamen hinc abeamus, cum semel delati simus ad vocem καθαρός, etiam hoc adiungam, multos contra in hoc vocabulo haesisse et optimo quidem iure haesisse in vita Niciae c. 18, ubi postquam Gylippum innotuerit Syracusanis opem laturum esse, Nicias narratur ὑπὸ τῆς ἐν τῷ παρόντι ῥώμης καὶ τύχης ἀνατεθαρρηκώς, μάλιστα δὲ τοῖς ἐκ Συρακουσῶν διαλεγομένοις κρύφα καὶ πέμπουσι πρὸς αὐτὸν ὅσον οὔπω τὴν πόλιν ἐνδίδοσθαι κατὰ συμβάσεις νομίζων οὐδένα τοῦ Γυλίππου λόγον ἔσχε προσπλέοντος οὐδὲ φυλακὴν ἐποιήσατο καθαράν, ἀλλὰ τῷ παντελῶς ὑπερορᾶσθαι καὶ καταφρονεῖσθαι λαθὼν αὐτὸν ὁ ἀνὴρ εἰσέπλευσε διὰ τοῦ πόρθμου κτλ. In his cum καθαρὰν ποιεῖσθαι φυλακήν tam absurdum sit et ridiculum, ut nihil magis esse possit, nulli in eo emendando pepercerunt operae viri doctissimi, e

quibus honoris causa nomino Fridericum Kranerum, heu quondam nostrum! quem nimis ἀώρῳ θανάτῳ et nobis et litteris crudelissime ereptum lugemus omnes, et Carolum Sintenim v. cl., quorum alter, consentiente ni fallor Godofredo Hermanno, scribendum proposuit καθ' ὥραν, quod ego olim in editione Didotiana amplexus eram dubitanter, alter nuperrime commendabat καθ' Ἱμέραν propter Thucyd. VIII, 1, quod mihi quoque olim in mentem venisse memini. Videtur tamen neque καθ' ὥραν satis conveniens esse, quoniam quod non suo tempore custodivisset Gylippi adventum ut gravius efferretur, nulla idonea erat causa, cum satis esset notare nullos omnino dispositos fuisse vigiles, quorum ope, quid eventurum esset, signo dato admoneretur Nicias. Neque ego hodie admodum laudare possum καθ' Ἱμέραν, quod vix puto ab ipso Sinteni etiamnunc defendi. Iure enim quaerimus, unde cognoverit Nicias vel nosse potuerit Gylippi naves ad Himeram appulsum iri, ut illic potissimum milites ad curam custodiae intendere oporteret; immo adventantem Gylippi classem si custodire volebant diligentissime, ne inparati opprimerentur, tota ora per speculas disponendi erant custodes, e quibus prospectus esset in altum mare, ut factum reperimus e. g. in bello punico secundo, cum Carthaginienses Lilybaeum essent occupaturi (cfr. Liv. XXI, 49). Illud autem non verendum videtur, ne mirifici loquendi generis φυλακὴν καθαρὰν ποιεῖσθαι vel καθαρῶς ποιεῖσθαι socius advocetur ipse Plutarchus in Timol. 16, ubi scribit πατρίδα καθαρῶς καὶ πιστῶς διαφυλάττειν, vel Demosth. 13, ubi narratur quispiam καθαρῶς ἕκαστα πράττειν, vel ex noviciis Anna Comnena Alex. I, 5 p. 30, 18 καθαρῶς τρέψασθαι τὸν ἀντίπαλον, in quibus exemplis ex proximo occurrentibus nemo non videt καθαρός, ut in notissimis καθαρὰ ἡδονή, quod interpretari licet *liquidam voluptatem* vel καθαρὰ εὐδία *nitidam maris tranquillitatem* (Meineke ad Alciphr. p. 172), longe aliud significare, quam quod commode nostro loco dici potuerit (cfr. Wyttenb. ad Plut. Mor. p. 41 f.). Cum enim nullas plane per oram dispositas fuisse custodias iure nobis concludere videamur ex proximis τῷ παντελῶς ὑπερορᾶσθαι καὶ καταφρονεῖσθαι, quod minus sincere vel paullo incautius eis usus diceretur Nicias, praepostere plane adiectum esset. Quodsi tamen recte significaturus erat auctor, id quod praefracte negaverim, custo-

des parum adtentos fuisse, non dubitandum est, quin hoc simplicius multo et usitatius scribi debuerit, veluti *οὐκ ἀκριβῆ φυλακὴν ἐποιήσατο* vel *οὐκ ἰσχυρὰν φυλακὴν ἐπιστήσας* (Heliod. Aethiop. I, 3) similiter*). Quae cum ita sint in eam opinionem veni, idem in hoc loco evenisse, quod sexcentiens factum ostendimus, ut scribae rarius vocabulum, quod nulla admodum similitudine opportunum erat errori, accedente animi hallucinatione, contra loci sententiam obscurarent licenterque permutarent. Itaque in eiusmodi locis ne paullo liberior quidem vituperanda erit correctio. Plutarchum enim sic scripsisse opinor: *οὐδένα τοῦ Γυλίππου λόγον ἔσχε προσπλέοντος οὐδὲ φυλακὴν ἐποιήσατο τῶν καταρσέων* i. e. *ne observabat quidem quibus locis Gylippi naves commode adpelli possent*, conl. Thucyd. IV, 26 *οἱ πολῖται περὶ τὰς κατάρσεις τῆς νήσου ἐφύλασσον*, Plut. Pomp. 65 *κατέλαβε χωρία ἔχοντα καὶ ναύλοχα καὶ κατάρσεις*, Themist. 9 *παραπλέων δὲ τὴν χώραν ὁ Θ., ᾗ κατάρσεις ἀναγκαίας καὶ καταφυγὰς ἑώρα τοῖς πολεμίοις*, quibus conpono quod Dio Cassius XLII, 40 dixit *τὰς κατάρσεις τηρεῖν* et L, 11 *τὰς κατάρσεις τῶν ὁλκάδων ἐπιτηρεῖν*.

Sed ut a curis secundis ad primarias revertar, in memoriam revocare lubet quod aliquotiens a me deploratum est, nullum librum Plutarchi peiorem expertum esse fortunam quam Symposiaca, quae, licet a multis viris doctis haud infeliciter temptata, tamen, cum omnis paene correctio pendeat a coniectura vel a sollerti fontium qui dicuntur secundariorum usu, editorum operam multifariam eluserunt. Nam vel Vindobonensis liber, a quo, cum vetustissimus omnium sit, ut a certissimo quantumvis vitiatae plerumque lectionis fundamento, omnis reapse proficisci debet verborum emendatio, tot tantisque mendis, haud raro monstruose aberrantibus (cfr. Quaest. Plut. III p. 41 not.) inquinatus est, ut, siquid boni in his membranis inveniatur vel minus vitiosi quam in ceteris, pusilla huius praestantiae laus fortuita magis contineri videatur erroris vacuitate. Atqui si nihil nobis praesto esset

---

*) Procopio, ut his utar, in deliciis est *ἐς τὸ ἀκριβὲς φυλάττειν* veluti b. g. p. 328, 6. p. 432, 11 p. 448, 12. *ἐς τὸ ἀκριβὲς φυλακὴν ποιεῖσθαι* dixit p. 246, 5. *φυλακὴ λόγου ἀξία* occurrit p. 376, 18, *φυλακτήριον ἀπημελημένον ὡς μάλιστα* p. 360, 12.

quam exemplar codicis Vindobonensis cum omnibus mendis erroribus lacunis eadem fide eademque arte typis expressum, atque nunc, si parva licet conponere magnis, Aeschylum ex codice Mediceo repetitum desiderant multi, aliquanto et facilior et certior esset horum librorum diorthosis, quam nunc, ubi nihil habemus nisi libros ex coniecturarum quasi tesserulis, quamquam haud raro summi ingenii egregiique acuminis prae se ferentibus vestigia, ad modum musivi operis artificiose conpostos. Interim nos ut poterimus, emendare pergemus hos libros. Nam quis modus esse possit, ut Ios. Scaligeri, viri immortalis, utar verbis (Epistul. III, 232 p. 497) purgandi Symposiacorum librorum stabuli, cum tot prope menda sint, quot versus et commata? Ac primum quidem adicere lubet exempla quaedam, ubi vis repertae veritatis vel sine argumentorum ambagibus animum inprimis ferire possit.

Ita quod in Symp. VIII, 3, 2 p. 721 c. scribae Plutarchum adserentem faciunt *αὐτῶν δὲ τῶν σωμάτων χρυσὸς μὲν καὶ λ ί θ ο ς ὑπὸ πληρότητος ἰσχνόφωνα καὶ δυσηχῆ, — εὔφωνος δὲ καὶ λάλος ὁ χαλκὸς κτλ.* fateor me non intellegere, neque intellegent opinor alii. Quis enim vidit unquam *λίθον* iuxta metalla poni male sonantia? Quod non eo potest excusari, quod VI, 5 p. 691 b dixerit *λίθον κατεψυγμένης καὶ πεπιλημένης ὑπὸ κρύους γῆς πάγος εἶναι.* Super erant in archetypo tantum litterae *ΚΑΙ . . ΛΙΒΔΟC*, unde librarius nihil cogitans fecit *καὶ λίθος.* Ecquis est qui non statim intellegat a Plutarcho esse *χρυσὸς μὲν καὶ μ ό λ ι β δ ο ς*? Quaenam autem vasa plumbea sonos vel non clare accipientia vel non claros edentia cogitet, perspici licet, siquis id agit, vel e Plinio h. n. XIV, 21, 136 vel e Geop. II, 6, 42. Nec incredibile est Plutarchi animo obversatas esse *κεραμίδας μολυβδίνας* s. tegulas plumbeas, quibus opulentiorum aedes contegebantur, ut notavit Athen. XIV p. 621 a.

In verbis Senecionis II, 3, 3 p. 637 c *ὥς γὰρ ἡ μήτρα π ρ ὸ ς τ ὸ ᾠ ὸ ν, οὕτω πάλιν τὸ ᾠὸν πρὸς τὸν νεοσσὸν πέφυκε, κυόμενον ἐν αὐτῷ καὶ λοχευόμενον.* iusto plus sapere videmus auctorem; nihil enim is sciebat de ovo humano genitura fecundato, neque commode opposita videtur matrix ovo, ut ovum pullo, qui in ovo conceptus ad partum reservetur. Sed quid plura? Videsne ipsam scriptoris manum *ΤΟΖΩΙΟΝ*

i. e. *ᾠὸν* perlucentem ex absurdo errore *ΤΟΩΙΟΝ*, cum praesertim proclive esset praevertere ad posterius vocabulum?

In eadem quaestione p. 636 c non video quomodo recte quis dicta credi possit haec: *ὡς κάμπη γίνεται τὸ πρῶτον, εἶτα ἐκπαγεῖσα διὰ ξηρότητα καὶ περιρραγεῖσα, ἕτερον πτερωθὲν δι' αὐτῆς τὴν καλουμένην ψυχὴν μεθίησι, τὸν αὐτὸν τρόπον ἐνταῦθα προϋφίσταται τὸ ᾠὸν, οἷον ὕλη τῆς γενέσεως*, quamquam quod Wyttenbachius pro *ἕτερον* proposuit *ἔντομον* vel *ἔντερον* equidem non minus perverse dictum arbitror. Emendationem locus poscit haudquaquam difficilem: *ἕτερόν τι πτερωθέν*. In codice perinde esse vides utrum scribatur *Π* an *ΤΙ*, ut alias eadem facilitate *ΤΙ* natum est ex *Η* (cfr. Cobet NL. p. 387). Nec desunt loci apud Plutarchum ubi similis medicina adhibenda est.

Saepius dictum est et a me et ab aliis Plutarchi orationem, inprimis in Vitarum opere, non paucis scribarum emblematis inquinatam esse, deinde per errorem in ipsum contextum receptis. Adtendi autem velim in uno alterove exemplo, quam festinanter saepe talia additamenta adscripta fuerint, quamque inconsiderate deinde in continuam orationem intrusa. Quamquam illius interpolationis genus quod continetur verbis ad explendam orationem adpictis, in aliis scriptoribus, qui saepius et legi et describi solebant, multis partibus et frequentius et audacius est quam apud Plutarchum.

In Symp. II, 5, 1 p. 639 b, ubi inquirit cur inter certamina pugilatum semper primo loco, proximo luctam, ultimo cursum posuerit Homerus, Menecrates mirabundus exclamat *ὦ Ἡράκλεις ὅσα λανθάνει ἡμᾶς· εἰ δέ τινα τῶν ἐπῶν ἐστί σοι πρόχειρα γνώμης, μὴ φθονήσῃς ἀναμνῆσαι*. In his pro *γνώμης*, quod nullo modo relicuis verbis adaptari potest, Wyttenbachius infelicissime reponendum censuit *μνήμῃ*, alii, ut Duebnerus, *γνώμης*, cum in codice Palatino, nescio quo iure, omissum esse perhiberetur, uncis sepserunt. Aliorum conamina referre nolo, cum facilior se offerat et certissima ad persuadendum emendandi via, ut statuamus, codicum lectionem ortam esse ex lemmate *γνώμη*, quod scribae saepissime ad oram libri adpingere solebant, ubi in contextu vel insigne aliquod dictum occurrebat, ut nostro loco *ὦ Ἡράκλεις ὅσα λανθάνει ἡμᾶς*, vel ubi tritam vel eximiam aliquam sententiam praefixo lem-

mate *γνώμη*, quod plerumque scribebatur *Γνω̄"*, scriptoris verbis — nam magnus erat explicandi doctrinamque ostentandi pruritus — adiecturi erant*). Manifestum eiusmodi interpolationis indicium extat apud Aristoph. in Pluto, ubi quae post v. 805 in codicibus leguntur verba: *οὕτω τὸ πλουτεῖν ἐστιν ἡδὺ πρᾶγμά τι* in libro Augustano ipso lemmate *γνω̄* praefixo a librario in textus seriem inlata sunt (cfr. Brunck not. ad Aristoph. I p. 267 sq.) Similiter scriba cod. Palat. 283 in vita Artax. c. 25 ad verba *ἡ γὰρ δειλία φονικώτατόν ἐστιν ἐν ταῖς τυραννίσιν, ἵλεων δὲ καὶ πρᾷον καὶ ἀνύποπτον ἡ θαρραλεότης* calamitosum illud *γνώμη* adscriptum praebet. Nec desunt exempla affinis generis. Ita apud Plat. Rep. VI p. 504 e admirantis scribae verba *ἄξιον τὸ διανόημα* in textum irrepserunt, Asti acumine, hoc nomine Stallbaumio longe praestantioris, loco demum mota (Cobet Mnemos. 1862 p. 165 sq.) Eademque additamentorum labe infectus videtur locus in libro II Maccab. 12, 45, ubi ad verba *ἐμβλέπων τοῖς*

*) In proverbialibus locutionibus perinde atque in eis quae ab aliis scriptoribus adsumpta suae orationi inseruit Plutarchus, nullam esse hiatus fugam post Sintenim de hiatu p. 338, novis aliquot testimoniis evincere conatus sum in Quaest. Plut. II p. 12, quibus hodie addiderim: *ὡς τύπῳ εἰπεῖν*, veluti Mor. p. 443 c et passim, et *τὸ κρόμυον ποτῷ ὄψον* ex Hom. *Λ* 630, ut Symp. VII, 7, 1 p. 710 c conl. Symp. IV, 4, 3 p. 669 b, ubi contra librorum consensum editur *ποτοῦ*. In aliis anceps haeret iudicium; ita, ne ultra quam oportet excurram, in notissima Archidami voce *ὁ πόλεμος οὐ τεταγμένα σιτεῖται*, cuius mentionem habet Plutarchus Crass. 2. Cleom. 27. Mor. p. 190 a. p. 219 a, eadem semper regnat positura; in postremo loco foede corruptum legitur *ὁ πόλεμος οὐ τεταγμένα ζητεῖ*, cuius loco ponendum esse *σιτεῖται* extra omnem est controversiam; ex neotericis ultimum mihi occurrit apud Theodor. Metochitam p. 541. Uno loco in vita Demosthenis c. 17, quamquam ibi dictum adtribuitur Crobylo demagogo i. e. Hegesippo oratori, ut evitaretur vocalium concursus, variato paulisper ordine et omisso inde articulo, incedit hoc modo: *ὡς οὐ τεταγμένα σιτεῖται πόλεμος· ἐπηρμένης δὲ κτλ.*, quocum conpono Themist. or. p. 113 b *ἐγείρει πόλεμον ἀκρασφνῆ καὶ σιτούμενον οὐχ ὡρισμένα.* Itemque in vita Cat. maj. c. 8 in verbis Catonis, multorum imitatione frequentatis: *χαλεπὸν μέν ἐστιν, ὦ πολῖται, πρὸς γαστέρα λέγειν, ὦτα οὐκ ἔχουσαν* ex aliorum locorum conparatione tutius videtur scribi *ὦτα μὴ ἔχουσαν* conl. Mor. p. 996 d *πρὸς γαστέρας ὦτα μὴ ἐχούσας* et p. 131 e *πρὸς γαστέρα ὦτα μὴ ἔχουσαν* et p. 198 d, unde deprompsit sua Stobaeus Floril. VI, 54, quam suspitionem etsi dubitationi magis etiam esse obnoxiam sentio, praetermittere religioni duxi.

μετ' εὐσεβείας κοιμωμένοις κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον nescio quis admirabundus adscripsit *ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἡ ἐπίνοια*, quae postea sunt in textum suscepta. Sed reiecit ea ad marginem elegans Valckenari ingenium teste Cobeto Mnem. 1859 p. 294. Itemque apud Xenoph. Ephes. I, 12 p. 341, 24 H. e margine receptam esse vocem *ἐπίγραμμα* plane mihi persuasit Hercherus. Similiter alias sciolorum *ὡραῖον, ἀστεῖον, χρήσιμον* etc., quibus qui codices scribebant, locum praeclarum digito quasi monstrare consuerant, in ipsa scriptoris verba sese insinuaverunt, ex quibus *ὡραῖον* identidem ad oram codicis Vindobonensis adpictum esse, certa memoria teneo. Ita scriba eiusdem codicis Palatini in vit. Antoni c. 9 margini adscripsit *ὡραῖον πάνυ τὸ χωρίον ὅλον καὶ πρὸς ἀρετὴν παροξυντικόν* et alia alias eiusdem generis plurima, quae unde serpserint non obscurum est*). Sed quid plura addam cum quantum in his peccaverint archetyporum scribae, incorrupta Galeni oculati quasi testis fide in comment. ad Hippocr. Epidem. III. Tom. XVII, 1 p. 634 K. stabiliatur, laudati iam a Cobeto Mnem. 1859 p. 435: *δῆλον ὅτι παρεγγέγραπται τοῦτο πρός τινος, οὐχ ὑφ' Ἱπποκράτους αὐτοῦ γέγραπται· τάχα δέ τις καὶ προςέγραψεν ἕνεκεν ἑαυτοῦ, καθάπερ εἰώθαμεν ὑπόμνησιν ἐν τοῖς μετωπίοις τὰ τοιαῦτα προσγράφειν· εἶτά τις τῶν μεταγραφόντων βιβλίον ὡς αὐτοῦ τοῦ συγγραφέως ὂν εἰς τὸ ὕφος αὐτὸ μετέθηκεν***).

Unum nunc e Symposiacis exemplum afferam ex libr. III, 6, 1 p. 653 c. Ibi (sermo est de eo quo tempore de rebus ad rem veneream spectantibus disserere licitum sit) haec leguntur: *κύλικος δὲ προκειμένης ἐν συνήθεσι καὶ φίλοις, ἔνθα*

*) Eodem modo corruptus est Antiphon. ap. Stob. Floril. 20, 44 *οὐκ ἔστιν ὅτι ἂν ὀργιζόμενος ἄνθρωπος εὖ γνοίη· αὐτὸ γὰρ ὃ βουλεύεται τὴν γνώμην διαφθείρει τοῦ ἀνθρώπου*, ubi Cobet, quamquam vitii causa non perspecta, *γνώμην* secludendum suasit. Vides iam unde serpserit.

**) Quod Cobet eiusdem Galeni usus testimonio scite observavit, cum alios scriptores tum Dionem Chrysostomum saepe in codicilli sui marginibus rem eandem alio atque alio modo formasse, postea per otium *ἐκ δευτέρων φροντίδων* utrum melius esset diiudicaturos, unde factum esse, ut scribae utrumque et quod in textu et quod in ora libri exaratum esset, in contextus seriem reciperent, id etiam apud Plutarchum usu venisse e. g. in Symp. II, 9 p. 642 c in verbis *ἀποδηλοῦν εἴωθε τῷ λέγειν καὶ Ὅμηρος ἐπὶ τῶν δερμάτων καὶ τῶν ἱμάντων, ὅτι φησίν κτλ.* alio, si potero, loco ostendam.

καὶ τὸ παραλέξαι μῦθον παραμβλύνοντα καὶ ψυχρὸν ἐν οἴνῳ συμφέρει, πῶς αἰσχρὸν εἰπεῖν τι καὶ ἀκοῦσαι εἰς συνουσίας χρῆσιν ὠφελίμως λεγόμενον. In his quae nihil aliud volunt quam Horatianum dulce esse aliquando desipere in loco, plura sunt quae adtentum lectorem advertant. Ac primum quidem haud dubie recte παραλέξαι ex codicum longe plurimorum lectione παραλέξει correctum est pro eo quod sine sensu scribebatur παραλλάξαι. Altera offensio erat in vocabulo παραμβλύνοντα, cuius loco, cum ad conectendam orationem aliquid desideraretur, Wyttenbachius proposuit καίπερ ἀμβλὺν ὄντα καὶ ψυχρόν, in quibus quid in tali re sibi velit καίπερ et qua significatione positum sit, ego me non adsequi fateor. Denique permirum est neminem, praeterquam unum Meziriacum, qui pro ἐν οἴνῳ miro mehercle acumine corrigendum suasit ἐνίοτε, offendisse verbis ἐν οἴνῳ, quae quam inepte adiciantur post κύλικος προκειμένης, (cuius loco alias, ubi nulla erat hiatus evitandi necessitas, praeoptavit κρατὴρ ἐν μέσῳ πρόκειται veluti Symp. I, 1, 5 p. 615 a conl. Mor. p. 421 a), quasi non fuerint haec satis facilia ad intellegendum, vix opus est dicere. Sed res salva est; in paucis manifestum rarioris dictionis interpretamentum tenetur adscriptum ad κύλικος προκειμένης, mox e margine alieno loco in contextum inperitissime adscitum, ut totum locum, putida praeterea, ut opinor, dittographia remota, in Plutarchi sensum convenientius constituisse arbitrer: κύλικος δὲ προκειμένης ἐν συνήθεσι καὶ φίλοις, ἔνθα καὶ τὸ παραλέξαι μῦθον ἀμβλὺν ὄντα καὶ ψυχρὸν [ἐν οἴνῳ] συμφέρει κτλ. Similiter ad ἄκρατον πίνειν, φέρειν alia affinis generis, a scribis non semel interpretamentum οἶνον adscriptum fuisse, quod constanti apud omnes omittatur usu, idque coniunctum cum vera scriptura vel perperam orationi intertextum legi etiam apud Plutarchum, copiose ostendi in Quaest. Plut. II p. 46 sqq. et III p. 46. Eandem legem cum anxietate quadam observabant labentis etiam graecitatis auctores sacrique scriptores, e quibus unum sufficit laudare locum S. Chrysost. p. 262, 18 Dueb. ἄκρατον ὀρέξαι πολύν. Sed de eiusmodi emblematis infra fusius disputabimus.

Quam insignem labem his libris pepererit evanida madoreve exesa archetypi scriptura explicatius dictum est in

Quaest. part. II p. 32 sq.*). Et extant sane non pauci loci adeo tenebris obruti, in quibus, quid in archetypo exaratum fuerit antequam evanuerit scriptura, vix mortalium quisquam poterit divinando adsequi. Aliquotiens tamen in manifestis lacunis tenue admodum intermortuarum litterarum indicium veram lectionem aperire potest.

---

*) Ex larga additamentorum materia quae succrevit, per occasionem haec explicuisse sufficiat:

Pag. 5 adde: In simili metaphora pluribus modis variata a multis aliis versatur Plutarchus Symp. III Praef. p. 645 c *ὥσπερ ἐπὶ λειμῶνας οἰκείους καὶ νομὰς ὑπὸ φιλολογίας προερχόμενον*, quod non veri absimile est decerpsisse cum ex Plat. Soph. p. 222 a *πλούτου καὶ νεότητος οἷον λειμῶνας ἀφθόνους*, quae postrema verba Cobet Mnem. 1860 p. 370 iniuria pro scribarum additamento habuisse videtur, quibus confero Clem. Alex. Paed. II p. 212, 4 *τῶν σαρκικῶν λειμώνων ὁ θεῖος δρέπεται γεωργός*, unde non procul distat Theophyl. hist. III, 6 p. 126, 4 *φέρε τὰ τοῖς Ῥωμαίοις πραχθέντα τοῖς τῆς ἱστορίας λειμῶσιν ἐμφυτεύσωμεν*. quae Christianam fortasse magis redolent dicendi rationem.

Pag. 5 ad adn. super Plac. phil. V, 8 adde: *κινήσεως ἀρχήν* tutum praestat Galenus *περὶ σπέρματος* Tom. IV p. 529, 16 K. *Ἀριστοτέλης οὐ φησιν ἐκ σπέρματος γίνεσθαι τὸ ἔμβρυον, ἀλλ' ἐκ τοῦ καταμηνίου, τὴν ἀρχὴν τῆς κινήσεως παρὰ τοῦ σπέρματος λαμβάνοντος* coll. p. 516, 9. 519, 10. 522, 3 *τὸ σπέρμα πλήττει τε καὶ κινήσεων ἀρχὴν παρέχει*, ut nunc scribere malim *ἢ παρὰ τὴν τῆς κινήσεως ἀρχῆς ταραχήν*.

Pag. 7. *περίττωμα* de sputo expromit Theodor. haeret. fabul. conp. I, 24 p. 317 *τὸ τοῦ πτύσματος περίσσωμα*.

Ibid. Ad illud quod Plutarcho in vita Othon. c. 10 pro *ὡσπερεί τι σῶμα* restitui *ὡσπερεὶ στόμωμα*, receptum postea a Sinteni in ed. II, conf. adhuc Clem. Alex. Paed. III p. 281 P. *οἱονεὶ τῆς βαφῆς καὶ τῆς στομώσεως τοῦ ψυχροῦ δεόμεθα* et Plut. Mor. p. 326 b *τὴν ἐν Ῥώμῃ δύναμιν καὶ ἀλκὴν ὥσπερ στόμωμα προτεταγμένην*.

Pag. 8. *Θρίγκωμα* etiamnunc recte reposuisse videor, quando Plutarchus Mor. p. 132 a scripsit *οὐ δεῖ χρῆσθαι κρεωφαγίᾳ πρὸς ἀποπλήρωσιν ὀρέξεως, ὥσπερ λύκους ἢ λέοντας. ἀλλ' οἷον ὑπέρεισμα καὶ διάζωσμα τῆς τροφῆς ἐμβαλλομένους*. quibus conpono Clement. Paedag. II p. 214, 37 P. *τὸ διάδημα τοῦτο ἐθρίγκωσεν αὐτούς* et Strom. VI p. 780, 38 *οἷον θριγκός ἐστι διαλεκτική*.

Pag. 12. Iure meo me suspectasse puto Mor. p. 1098 d *ὥσπερ οἱ πολύποδες ἄχρι τῶν ἐδωδίμων ἐκτείνει τὰς ἐπιθυμίας*, cuius loco si recte posui *ἐκτείνει τὰς ἐπιθυμίας πλεκτάνας*. nunc praeter locos laudatos commodum succurrit Theophyl. hist. II, 18 p. 108, 1 *τῇ ἐπάλξει τὰς χεῖρας περιβαλὼν οἷα πολύπους ἀφύκτους πλεκτάνας τινάς*.

Pag. 17. not. * Inconsulto in Psellianis intactum reliqui *ὅταν οὖν δείσῃ περιτρεπόμενος ὁ πολύπους*, quod expressum est ex Plut.

In eodem capite p. 653 c postquam commemoravit nullum omnino de re venerea per cenam disputationis inter seniores et iuvenes locum esse, indicata post *οὐχι* lacuna, haec deinceps sequuntur: *πρὸς ταῦτα οἱ μὲν τὸν Ξενοφῶντα παρέλαβον, ὡς ἀπάγοντα τοὺς συμπότας μετὰ δεῖπνον οὐχι . . . ἐφ' ἵππων ἐπὶ συνουσίας πρὸς τὰς γυ-*

Quaest. Nat. 19 p. 916 e *ὅταν δείσῃ τῷ πνεύματι τρεπόμενος.* Manifestum est Psellum dedisse *ἀέρι τρεπόμενος.*

Pag. 18 in loco Plutarchi quaest. natur. 22 p. 917 d iniuria fortasse sollicitavi verba *πέττει δὲ κάλλιστα τὸ διαπνέον*, quod nescio an non tueri liceat exemplo Clementis Alex. Paed. I p. 122, 45 *ἀλλὰ μεταβάλλοντες (οἱ μαστοί) τὴν τροφὴν ἐν ἑαυτοῖς ἐργάζονται γάλα καὶ διαπνέουσιν* i. e. *lac in se ipsis efficiunt et exhalant.*

Pag. 22 in Scholio Cod. Farnes. apud Stobaeum Heereni p. 461, 5 de etymo nominis Achaeorum, perperam, veri specie deceptus, verba vitiosa *ὅτι μετὰ κυμβάλων ἠχοῦσαν* ita correxi ut scriberem *ὅτι μ. κ. ἦχον ἰοῦσα* cum apertum sit fuisse olim *ὅτι μετὰ κυμβάλων ἠχοῦσα* cfr. Preller. Griech. Myth. I p. 596. et Plut. Mor. p. 378 e, ut aliud agens iniuriam paene fecerim Heereno, siquidem *ἠχοῦσαν* nihil esse videatur nisi sphalma typographi.

Pag. 23. Locum Symp. VI, 8, 2 p. 694 d *καὶ κτήνη μάλιστα πάντων ἐδωδίμων ἀναρρώννυσιν ἄρτος, ὥστε κἂν ἐλάχιστον ἐμφάγωσιν, εὐθὺς ἵστανται καὶ βαδίζουσι*, paulum abest quin expressum dicam ex Xenophontis Anab. IV, 5, 8 de eadem re disserentis: *κἄν τι φάγωσιν, ἀναστήσονται — ἐπειδὴ δ' ἐμφάγοιεν, ἀνίσταντο καὶ ἐπορεύοντο.* Ceterum perperam *ἰῶνται*, quod in codicibus est pro *ἵστανται*, utpote soloece dictum reiectaneum mihi videbatur, quando item passive usurpatur Symp. III, 10, 3 p. 659 d. Itaque nisi Xenophon et Psellus praestarent *ἵστανται*, hoc certe nomine satis tutum esset *ἰῶνται.*

Pag. 37. In vita Anton. 77 et Artax. c. 5 Sintenis edidit *ταῖν χεροῖν*, eandemque formam obtinuisse video apud Clementem Strom. VI p. 761, 9 *ἀμφοῖν ταῖν διαθήκαιν* aliosque scriptores sacros, non raro tamen ad antiquiorem relapsos. Apud Byzantios frequentius *ταῖν*, veluti Theophyl. II, 18 p. 107, 13 conl. Boissonade Anecd. Graec. II p. 233; ita etiam apud Theodoret. de provid. or. VI p. 579 med. habes *ταῖν χεροῖν.* Sed de his similibusque rebus alius erit dicendi locus.

Pag. 41. Ad ea quae Plutarcho reddidimus in Mor. p. 77 c *ἄν τε γάμος, ἄν τε πλοῦς τις* (pro volg. *ἄν τε πλοῦτος*) *ἄν τε φιλοτιμία* (pro volg. *ἄν τε φιλία τις*) cfr. Mor. p. 408 c *εἰ γαμητέον, εἰ πλευστέον, εἰ δανειστέον* et p. 62 a *καὶ πρὸς ὁδὸν ἢ πλοῦν ἤ τινα πρᾶξιν* et de *φιλοτιμεῖσθαι* etc. Cobet Mnem. 1860 p. 397.

Pag. 42 *οὕτω μακρὰν καὶ συμπεπηγυῖαν*, quod quin recte e cod. lectione *συμβεβηκυῖαν* eruerim vix dubitandum est propter Symp. VIII, 10, 2 p. 715 e *φύσιν ἔχοντες ἐν τῷ νήφειν ἀτολμοτέραν καὶ πεπηγυῖαν.*

ναῖκας. Adumbratus est locus ex Xenoph. Symp. IX, 7, ubi post saltationem mimicam, Bacchi et Ariadnes nuptias repraesentantem, convivae narrantur *ἰδόντες περιβεβληκότας τε ἀλλήλους* (Bacchum et Ariadnem) *καὶ ὡς εἰς εὐνὴν ἀπιόντας, οἱ μὲν ἄγαμοι γαμεῖν ἐπώμνυσαν, οἱ δὲ γεγαμηκότες ἀναβάντες ἐπὶ τοὺς ἵππους ἀπήλαυνον πρὸς τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας, ὅπως τούτων τύχοιεν*. Quod alias commodum est redintegraturo, adcurata spatii lacunae codicis mensura, apud Plutarchum paene incommodum est, quandoquidem nec qui Vindobonensem nec qui Parisinos scribebant codices magnam in lacunarum spatio indicando mereri videantur fidem. Etenim cum si non ipse liber Vindobonensis, at certe parens eius ex codicillo quadratis litteris exarato descriptus censeri queat, in metiundis lacunarum spatiis facile intelleges quadratarum litterarum fere mensuram adhibendam esse. Quamquam, ut omnis absit superstitio, dissimulare nolo, ne hoc quidem adamussim indubiam damni dare posse imaginem, cum ineruditi saepe describentium oculi in tanta ad errores proclivitate antiquae scripturae vestigia ex lacunarum spatiis plus minus emicantia conturbaverint. Inde factum est — nam et lacunis sua fata sunt —, ut, quo recentiores sint codices eo ampliore plerumque ambitu spatia lacunarum notari videas, cum, quanto magis remota antiquae labis imago, tanto difficilior esset nova imitationis imitatio tantoque pronior veritatis adulteratio. Ita in quo versamur loco Vindobonensis liber litteras *ουχι* cum quinque, cod. Parisinus uberius haud dubie cum novem litterarum lacuna exhibet, de Vaticano, uno, si recte memini, saeculo Vin-

---

Eadem pagina ubi de locutione Homerica *ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω νοεῖν* vel *λεύσσειν*, in verbis Plutarchi an seni s. ger. resp. p. 788 e *τὸν δὲ στρατηγὸν ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω* (ita enim scribendum erat) *τῶν πραγμάτων ὁρῶντα*, delitescente disserui, ad coniecturam meam confirmandam vellem recordatus essem Senecae *Ἀποκολοκυντώσεως* c. 9: *consul, homo quantumvis vafer, qui semper videt ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω.*

Pag. 43. Quod Symp. III, 6, 2 p. 654 a pro *ἀνίδαστον* conieci *ἀνέδραστον*, probare poteram locis Clem. Alex. Strom. IV p. 566, 16 et VI p. 789, 12 aliis.

Pag. 49. Adde Symp. II, 2 p. 635 b *ὀπώραν τῷ κενοῦσθαι τὸ σῶμα νεαρὰς ὀρέξεις ἀεὶ παρασκευάζουσαν* et vit. Anton. 29 *καὶ παιδιᾶς ἀεί τινα καινὴν ἡδονὴν ἐπιφέρουσα.*

dobonensi recentiore, tacente Wyttenbachio mihi inconpertum est. Quodsi cui tota hac ratiocinatione nostra nondum satis factum sit, nunc unum alterumve locum accipiat, ubi editorum lacunarum conplementa ita conparata sunt, ut controversia omnis nostro quidem iudicio prorsus dirimatur. Ita in Symp. I, 4, 3 p. 622 a *καί* ante *προστάγμασιν* in Vind. deest cum trium, in Paris. 1680 cum octo litterarum spatio, itemque lib. I, 6, 2 p. 624 a in verbis *πλὴν ὅσον ἴχνος τι τοῦ πυρὸς ἐνετῷ μετώπῳ κρατουμένῳ ὑπὸ τῆς κομη... ειν αὐτῷ παιδί* ubi, quibus oratio mutila conpleretur, vix potuit excogitari aptius quam *ὑπὸ τῆς κόμης μένειν*, cod. Vind. spatium habet trium quattuorve, Paris. sedecim litterarum capax, quod nemo non videt nimium esse ad sermonis continuitatem et ad eum quem requirimus nexum redintegrandum*). Verum de his satis. Nolo enim immorari rebus quarum demonstrationem sagaci Hercheri ingenio integram reservari tutius est.

Redeo nunc ad locum Symposiacorum, in quo quae ad reconcinnandum luxatum sermonem commenta est interpretum industria, parum fatendum est habere commendationis. Verumenimvero cavendum erat ab ista opinandi levitate, quae quantum adtulerit damnum Plutarchi scriptis pluribus persequi longum est. Nimirum *εὐθύς*, in quod Reiskius incidit, et prave conlocatum est et longius a codicum memoria recedit. Non magis admitti potest Wyttenbachi mutatio *οὐχὶ πεζῇ ἀλλ' ἐφ' ἵππων*, quod si per hiatum scribi liceret, iniuriam tamen faceret Plutarcho, homini non adeo insulso. Absit ab illo dedecus hoc!**) Alia non multo probabilior emendatio inventa est a Faehsio in Animadv. ad Plut. Op. p. 54, libro absurdissimis, ut dicam quod res est, nugis referto. Is pro *ουχι* sibi persuasit poni posse *ταχύ*, quod Plutarchum non scripsisse neque scribere potuisse, suo unus-

*) Evidentissimum esse putamus pro *κρατουμένῳ* hiatus et sententiae gratia reponendum esse *κρατούμενον*, incuria librariorum perperam cum *μετώπῳ* iunctum. Eadem prorsus depravatione in Erotic. p. 765 e volgatur: *ἀνάκλασις δή που τὸ περὶ τὴν ἶρίν ἐστι τῆς ὄψεως πάθος, ὅταν — — δόξαν ἡμῖν ἐνεργάσηται τοῦ φαντάσματος ὡς ἐν τῷ νέφει ὄντος*, ubi aptiore multo sententia in promptu est sic ab hiatu cavere: *ὡς ἐντὸς νέφους ὄντος*.

**) Suo iure id coniunxit retroacto ut par erat ordine Anna Comnena p. 247, 15 *οὐκ ἔφιππον, ἀλλὰ πεζῇ καὶ βάδην ἐρχόμενον*.

quisque sensu arbitretur. Quartae denique coniecturae, quae Stephano in mentem venit *μονονουχί*, quod pertineat ad *συνουσίας*, cur non obtemperandum ducamus, non opus est exponere. Itaque, nisi quis forte quintae eiusdem Stephani suspitioni, expungendum esse *οὐχί* oboediat, lubenter mecum recipiet aliquanto veri similiorem et litterarum quae traditae sunt formis convenientissimam, ut ad persuasionem vix quicquam desit: *ὡς ἀπάγοντα τοὺς συμπότας μετὰ δεῖπνον ΟΧΟΥΜΕΝΟΥC ἐφ' ἵππων*, idque Plutarchum dedisse eo confidentius dicere licebit, quod etiam in loco Xenophontis affine adiungitur participium *ἀναβάντες*. *Ὀχεῖσθαι ἐπὶ τῶν ἵππων* praeter alios dixit Xenophon Cyrop. IV, 5, 58, *ὀχεῖσθαι ἵππῳ* ipse Plutarchus in vit. Oth. 6 conl. Artemid. I, 12 *ἐλέφαντι ὀχεῖσθαι*, I, 20 *ἀετῷ ὀχεῖσθαι*, Procop. b. g. I, 18 p. 87. 17. I, 19 p. 96, 1. I, 28 p. 133, 17; *ἐπὶ τῶν ἁρμαμαξῶν ὀχεῖσθαι* Plut. Themist. 26 conl. Athen. VI p. 256 d et similiter Plut. Crass. 32 *ῥαβδοῦχοί τινες ὀχούμενοι καμήλοις ἤλαυνον*. *Ἐποχεῖσθαι ἐφ' ἵπποις* praeter Pausaniam apud novellos tantum me legisse arbitror, veluti Annam Comnenam (e. g. p. 27, 22 *ἐφ' ἵπποις ἐποχούμενοι*, cui p. 32, 4 praetulit *τῶν ἵππων ἐν οἷς ἐπωχοῦντο*); apud Leonem Diaconum cum genetivo iunctum occurrit, veterum exemplis etiam testatiore, e. g. p. 22, 11 H. *ἐφ' ἵππου θηλείας ἐποχούμενος*, cuius loco idem ex consuetudine Byzantiorum infimae sectae sibi concessit p. 10, 3 *ὁ ἵππος, εἰς ὃν ἐπωχεῖτο*, alios graecitatis ad interitum devexae scriptores, ex quibus tamen non fastidimus interdum haurire fontibus. *Ἐποχούμενοι ἵπποις* ex imitatione cultiorum scriptorum dixit Herodianus IV, 15, 3. Zonarae Annal. p. 325, 2 placuit *ἐφ' ἵππου βαδίζειν*, Leoni Diacono p. 132, 16 *ἐφ' ἵππου ἐπιβαίνειν*, antiquiores, ut Theophylactus, veterum usum, ut in linguarum decursu fit, recolentes dederunt *ἐπιβάντες τῶν ἵππων* cfr. Hist. p. 144, 4 et quae sunt similia plurima.*) Haec inter viam non sine molestia qua-

*) Plus admirationis habet quod apud Theophylactum hist. V, 10 p. 225, 3 consentiente Bekkero editur *καὶ ῥώμῃ κεκρατηκὼς ὁ Νάρσης τοὺς ἱππέας τῶν ἱπποχούντων ἀπέβαλεν*, quorum haec vis dicitur esse: *ab equis deiiciebat equites*, cuius neque ratio neque testis sistitur. Sed totus ille locus, ut permulta in his libris, perobscurus est. Interim corrige *καὶ ῥύμῃ κεκρατηκώς*.

dam sublegi, non defore sciens, qui has barbariae ingruentis quisquilias, utpote nullius prorsus hodie publici saporis, risu cavillentur. — In propatulo est autem portentosum illud *οὐχί* non peperisse quam totiens exsecramur alicuius scribae neglegentiam, sed quae in archetypo quod dicunt obscuris ductibus exarata vel situ prorsus oblitterata essent, emendandi vel supplendi lubidinem. Quae observatio et alias perutilis esse potest ad criticam apud Plutarchum factitandam. Hoc unum addam, in postremis verbis *ἐπὶ συνουσίας πρὸς γυναῖκας* magis fortasse ex aliorum scriptorum usu (Heliod. I, 15 Lucian. dial. meretr. 10, 1 Long. 3, 25 quae congessit docta diligentia Hercheri ad Steph. Thes. s. v. *φοιτᾶν*) scribi videri *παρὰ γυναῖκας*, cum praesertim Plutarchus in loco gemino Symp. VII, 8, 3 712 c *ἔχει δὲ καὶ τὰ ἐρωτικὰ παρ᾽ αὐτῷ (Μενάνδρῳ) καιρὸν πεπωκόσιν ἀνθρώποις, καὶ ἀναπαυσομένοις μετὰ μικρὸν ἀπιοῦσι παρὰ τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας* de eadem consuetudine venerea praetulerit *παρά*, ut in vita Alex. 2 *φοιτᾶν παρ᾽ αὐτὴν ἀναπαυσόμενος*. Videntur tamen citerioris aevi scriptores in hoc praepositionis *παρά* usu (verecundioremne putamus esse?), quem antiquior aetas ambitiosius fortasse curabat (cfr. Siebelis ad Paus. II, 10, 4 Baehr ad Herod. II, 111. 115 T. I. Halbertsma, iniuria fortasse hanc etiam constantiam obtrudens Lysiae, Adnot. crit. in Lysiae orat. Mnemos. 1862 p. 207) non adeo sibi constitisse, ut alterum prorsus non admisisse censendi sint, siquidem Plut. Mor. p. 54a sibi sine haesitatione concesserit *κρύφα φοιτῶν πρὸς αὐτήν* et Fab. Max. 20 *μακρὰς ὁδοὺς ἑκάστοτε φοιτῶντα πρὸς ἐκείνην ἀπὸ τοῦ στρατοπέδου* et Anton. 25 de Cleopatra ad Antonium amatorii commercii causa commeante *πρὸς τοῦτον ἔμελλε φοιτήσειν*, Gorgias *ὁ πορνογράφος*, apud Athen. XIII p. 596f item de meretricula *δύο δραχμῶν φοιτᾶν πρὸς τὸν βουλόμενον*, Anton. Liberal. 34 *Σμύρνα ὡς ἐξίκετο πρὸς αὐτόν*, quamquam c. 5 praeoptaverat *φοιτᾶν παρὰ Τιμάνδρην* et c. 41 *εἰσιέναι παρὰ τὴν Πασιφάην*. Eodem pertinet locus apud Alciphr. I, 37, 3 *κἂν ἔλθῃ πρὸς ἡμᾶς κοιμηθησόμενος*. Ita etiam Parthen. 17, 3 usurpavit *εἰσέρχεσθαι παρὰ τὸν παῖδα*, quamquam idem in eadem vicinia simili significatione praetulit *φοιτᾶν πρὸς τὸν παῖδα*, neque si quaeris cur ita fecerit, aliud respondere licet, nisi quod elegantiae

causa eadem dicendi ratione bis uti noluerit; eodemque iure Ptol. Heph. apud Phot. bibl. cod. 190 p. 149 b 36 scripsit *Ἑλένη πρὸς Βούπαλον πορευθεῖσα.* Apud Procopium, ut sequioris etiam aetatis auctorum fiat mentio, *φοιτᾶν, ἔρχεσθαι* et quae sunt alia motionis significativa, propria sua potestate — nam figurate dictum nusquam reperitur — plerumque occurrunt cum *παρά* ut b. g. p. 172, 11 p. 201, 1 p. 253, 10 p. 537, 2 etc., apud Annam eodem sensu *φοιτᾶν* coniungitur cum *πρός* veluti p. 204, 1 alias. Ex aliis senescentis graecitatis scriptoribus nihil in promptu est quam Leon. Diacon. p. 86, 13 *πρὸς τὸν αὐτοκράτορα εἰσφοιτήσασα (ἡ βασιλίς)* et Zonar. Annal. III, 12 p. 251, 15 *πεῖσον τὴν γυναῖκα τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ἡμᾶς,* quibus subiungam S. Chrysost. de S. Babyla p. 246, 50 *πρὸς αὐτὴν (Ἀφροδίτην) εἰσελθεῖν φασιν Ἥφαιστον,* nec tamen ne apud hos quidem hoc ita pertinaciter haeret, ut altero prorsus abstinuerint. Quae cum ita sint rem iam eo nobis adduxisse videmur, ut *φοιτᾶν παρά τινα* de consuetudine venerea paullo frequentius fuisse intellegatur, quam *φ. πρός τινα,* ita tamen, ut non semel apud omnes omnium aetatum scriptores alterum in alterius vicem sit substitutum. Ita fit ut rei summa a codicum fere pendeat auctoritate, qui si dimicant inter *πρός* et *παρά,* liberum fere est, in quam quisque descendere velit partem.

Nemo nescit a Plutarcho aliisque eiusdem sectae scriptoribus Luciano, Dione Chrysostomo aliis, crases quibus Attici perpetuo utebantur, recoli coeptas esse, adeo ut licet magnus sane earum numerus effloruerit apud illos, potiores tamen secundum fixam quandam regulam passim recurrant. Qua de re pluribus a me expositum est in Quaest. Plut. III p. 51 sq., fortasse non infeliciter, quamquam ingenue confitendum est, quidquid profecerim pusillum videri prae eo quod restat. Atque in eadem paene de Plutarcho video esse sententia Cobetum Mnem. 1862 p. 335, quamquam non tantam equidem huius scriptoris in his rebus aequabilitatem fuisse crediderim, ut ubicunque severior Atticorum norma crasim vel etiam diaeresim postulat, praeterquam in fixis veluti in *καλὸς κἀγαθός,* certo semper foedere iunctis, nusquam usurpaverit formas solutas. Habent enim huius monetae scriptores propriam suam in quibusdam rebus inconstantiam et quo recentiores sunt, tanto

cupidius eo inclinant. Illud autem verissime observatum est sexcentiens crases a scribis inperite obscuratas esse, ut saepe, si quis hoc agit, ex vetustis scripturae corruptelis nitidiorem auctoris indagare possit scribendi rationem. Eximius erat ad haec confirmanda locus in Plut. Symp. VII, 1, 3 p. 699 e, ubi librorum potiorum lectio *τὴν πρὸς τὸ ὑγρὸν ἐπιθυμίαν* ex coniectura mutanda erat in *πρὸς τοὖργον,* quod cum scribae sero nati de more in communem quippe sibi suisque aequalibus familiariorem refingerent formam, non est mirum eos adsidua quasi errorum consuetudine corruptos, ridiculum peperisse *τὸ ὑγρόν* (cfr. Quaest. Plut. III l. l. *) et Cobet, cuius adsensum me tulisse vehementer laetor, in Mnemos. 1862 p. 335.)

Similiter scribarum error in simili causa commissus quid genuinum sit, demonstrare poterit in Symp. III, 4, 3 p. 651 f ubi densiora esse mulierum quam virorum corpora, disci posse significatur ex viris concumbentibus cum mulieribus unguento aut oleo delibutis. Quibus proxima continuantur in hunc modum: *ἀναπίμπλανται γὰρ αὐτοῦ τοῦ χρίσματος ἐν τῷ συγκαθεύδειν, κἂν μὴ θίγωσι μηδὲ προσάψωνται τῶν γυναικῶν.* In his profecto non satis erat refingere *τοῦ αὐτοῦ,* cuius loco usitatius haud dubie scriptum esset *ταὐτοῦ.* Immo cum

---

*) Crasibus a Plutarcho semper fortasse usurpatis adnumerandum est etiam *τοὖψον*, feliciter servatum in Symp. VIII Praef. p. 716 e. Ac restituendum hoc esset vel sine librorum indicio Mor. p. 236 b, ut Clementi Alex. Paed. II p. 283 P pro manifesto vitio *τὸ ὕψος* reddidit Cobet l. l. conl. Praef. ad Nov. Lect. p. XIV, si Plutarchus auctor esset Apophthegmatum Laconicorum, neque homo qui ne minimam quidem curam ad eiusmodi hiatus evitandos adhibuerit. Ex eodem genere est *τἄλευρον* inpune servatum a scribis Symp. p. 659 b. Ex ceteris nullum novi exemplum, quod felicius commune naufragium eluctatum ad ultimos deinceps Byzantios, pristinae alioquin sermonis virtutis desultores, propagatum sit quam *τοὔδαφος.* Atque ceterarum etiam non nullae sunt quae longo intervallo postquam obsoleverunt, in recentiorum demum scriptis resurgunt, quorum nemo est qui magis exsultaverit in memoria crasium exoletarum instauranda, quam Anna Comnena, apud quam non tantum *τοὔδαφος*, verum etiam *προὐτρέποντο, τοὐμφανές, τοὔσχατον, κἀγώ, κᾆτα, κἀκ, κἀκεῖ, οὑμός, τοὐμόν, προὖπτον* etc. aequalibus prioribusque ex parte spreta, non occulte gliscunt, sed ita fixa sunt, ut perpauca reperiantur contraria exempla, velut *εἰς τὸ ἐμφανές* p. 223, 16.

in archetypo haec incorrupte exarata essent ΑΥΤΟΙΤΑΥΤΟΥ, tanquam in oculos incurrit vera et elegans scriptura *ἀναπίμπλανται γὰρ αὐτοὶ ταὐτοῦ χρίσματος*, ut saepissime locutum invenies auctorem. Simili vitio inquinatus est locus apud Athen. III p. 88 f ubi de purpurarum generatione scribitur *ἐὰν δὲ πρὶν ἐκτεκεῖν ἁλῶσιν, ἐνίοτε ἐν ταῖς φορμίσιν, εἰς δὲ τοῦτο συνιοῦσαι ἐκτίκτουσι.* In his reponendum esse vides *εἰς δὲ ταὐτὸ συνιοῦσαι,* de cuius emendationis veritate tanto minus dubitandi causa est, quo certius est desumpta esse haec ex Aristot. a. h. V, 15, 2 *ἐὰν δὲ πρὶν ἐκτεκεῖν ἁλῶσιν, ἐνίοτε ἐν ταῖς φορμίσιν οὐχ ὅπου ἔτυχεν ἐκτίκτουσιν, ἀλλ' εἰς ταὐτὸν ἰοῦσαι.* De locutione *συνέρχεσθαι εἰς ταὐτό* similibus fusius dictum est in Quaest. Plut. III p. 50 et IV p. 23 not., quibus hodie ex serioribus addiderim Procop. b. g. III, 20 p. 365, 13 *ἐς κοίτην τινὶ ξυνελθεῖν* vel *εἰς εὐνήν τινι ξ.* III, 31 p. 406, 3 IV, 10 p. 504, 6 Theophyl. hist. IV, 6 p. 171, 18 *παρεγγύα τῇ γυναικὶ ἐς ταὐτὸν εὐνῆς τῷ φρουράρχῳ γενέσθαι* etc. Quamquam ne his quidem similibusque formis quid scribae de suo largiti sint omnibus locis adamussim definiri licet. Obiter moneo in praecedentibus p. 651 c *ἧττον αἱ πλεῖσται ῥιγοῦσι τῶν ἀνδρῶν* et p. 651 d *δηλοῖ γοῦν καὶ τὸ ῥιγοῦν* vix dubium esse posse, quin sincerior forma *ῥιγῶσι* et *ῥιγῶν* vel invitis libris inferenda sit, cum emendatiorem, quae Atticis propria adseritur (Cobet VL. p. 84), inlaesam servaverint librarii in Mor. p. 233 a, ubi habes *ῥιγῴη*, quamquam ne hic quidem locus extra dubitationem positus est. Sed tenuis omnino fides est librorum in his aliisque formis vitiosis, quae fortuita aliquot exemplorum consensione stabilitae putantur, ut sanissimo iudicio observavit Dindorf Praef. ad Dion. Chrys. p. XI. Ac multo crebrius in hac re apud Plutarchum peccatum est, quam quis inexpertus credat.

Verum leve hoc quidem est prae turpissimis maculis, quae inquinant Symp. VI, 10 p. 697 b *τὸ αὐτὸ* (sc. *ταὐτό*) *δὲ πάσχει καὶ πυρῶν ἐντεθεὶς* (*ὄρνις*) *σωρῷ καὶ νίτρῳ συνημμένος*, neque enim *σωρὸς πυρῶν* quid sit perspicitur et *συνημμένος* manifesto mendosum est. Sublatum erit alterum vitium si rescripseris *καὶ πυρῶν ἐντεθεὶς σιρῷ*, i. e. *si imponitur avis in scrobe qua hordea conduntur,* quem ad modum

Chrysippus ap. Stobaeum Ecl. phys. I p. 102, 11 dixit: *παράθεσιν μὲν γὰρ εἶναι σωμάτων συναφὴν κατὰ τὰς ἐπιφανείας· ὡς ἐπὶ τῶν σιρῶν* (ita rectissime Meinekius pro vitioso *σωρῶν*) *ὁρῶμεν ἐν οἷς πυροί τε καὶ κριθαὶ καὶ φακοὶ καὶ εἴ τινα τούτοις ἄλλα παραπλήσια περιέχεται*, quae adstrui poterant incorrupta glossa Suidae *σιροῖς· ὀρύγμασιν ἐν οἷς κατατίθεται τὰ σπέρματα* conl. Ael. h. a. II, 25 *πληρώσαντες τοὺς ἐν τῷ μυχῷ σφίσι σιροὺς πυρῶν τε καὶ κριθῶν*. Plin. h. n. XVIII, 30, 306 Varro de r. r. I, 57, 1 et quae congessi in Quaest. Plut. I p. 48 sq. *)), ex quo statim intelleges, quam recte a me in verbis contiguis *ὅτι δὲ ὁ πυρὸς ἔχει τι θερμόν, τεκμαίρονται τοῖς ἀμφορεῦσιν, ὧν ἐντιθεμένων ἐς σῖτον ἐξαναλίσκεται ταχέως ὁ οἶνος*, iam pridem emendatum sit *εἰς σιρόν*. Quae quidem suspitio mihi adeo evidens videbatur esse, ut neminem dubitare posse crederem. Ea me opinio fefellit. Duebnerus enim, cuius hodieque gratissima in animo meo infixa haeret memoria, haec intemptata relinquere maluit, ne in eo quidem mihi obtemperans, quod *ἐς* vel sine librorum adminiculo constanter ex Plutarchi scriptis eximendum suasi. Et addixit quidem posthac huic observationi, quam praeivit Schaeferus ad Plut. vit. Tom. II p. 47, 25, codex Vindobonensis, qui in talibus interdum est emendatior ceteris**). At eorum quae sequuntur *καὶ νίτρῳ συνημμένος, ὑπὸ θερμότητος* mihi olim (Quaest. Plut. II p. 30) satis expedita esse videbatur sententia scribendo *καὶ νίτρῳ συμπεπασμένος*, quam audaciam Plutarchi manes aegre mihi esse condonaturos vererer, nisi leniore medicina hodie locum

---

*) Cfr. Procop. b. g. II, 1 p. 146, 15 *ἐς βαθεῖάν τινα διώρυχα ἐμπίπτει, οἷαι πολλαὶ τοῖς πάλαι ἀνθρώποις πρὸς σίτου παρακαταθήκην ἐνταῦθα, οἶμαι, πεποίηνται*. Putidum est quod apud Dion. Chrys. or. XXI, p. 505 R. codices recens fabricati ut vetustatis colorem odoremque contraherent, perinde atque amphorae vinariae apud Plutarchum, dicuntur *καθιέναι ἐς σῖτον*, quos manifestum est demissos esse in caveas subterraneas, scilicet non ob *marcorem*, ut opinabatur Iac. Geel ad Dion. Chrys. Olymp. p. 262, qui nullus esse debebat, quando frumenta per hiemem conservaturi erant, sed ob calidam quandam loci frumentorumque ibi coacervatorum exhalationem, quae papyrum adeo infuscare credebatur. Itaque illic quoque aptissime *εἰς σιρόν* correctum esse quis non probet?

**) *Ἐς* editur adhuc Plut. Symp. IV, 6, 1 p. 671 d *ἐς τὴν τριετηρικὴν παντέλειαν*, ubi nimis verecundus esset qui tralaticium *ἐς* loco suo relinqueret.

sanare possem. Videor enim mihi videre Plutarchum dedisse *καὶ νίτρῳ συνεσμηγμένος*, quibus confero Aristoph. Nub. 1237

ἁλσὶν διασμηχθεὶς ὄναιτ᾽ ἂν οὑτοσί

et Alexim apud Athen. VII p. 324 c

(τὸ σῶμα) σμήσας τε λεπτοῖς ἁλσί

et quae ex Geoponicis VII, 6, 11 afferuntur *σμήχειν πίθους ἅλμῃ*. De ipso conposito *συσμήχειν*, etsi nullo exemplo confirmari potest (*διασμήχειν* usurpavit etiam Plutarchus Symp. VI, 7, 2 p. 693d conl. Lobeck ad Phryn. p. 253 sq.) nemo opinor tricabitur post ea quae de ingente caterva verborum cum *σύν*, *πρός* et *πρό* conpositorum scitissime monuit Cobet Mnemos. 1860 p. 69 et ego Quaest. Plut. III p. 20; ac satis id tuentur simillima exempla veluti *συμπάσσειν* alia.

Sed Stobaei commemoratio ad Aristotelis locum me traducit, in quo emendando interpretes operam frustra consumpserunt. Servavit eum Stobaeus in ecl. phys. p. 154, 15 M. Ibi inter alias aliorum philosophorum de facie lunae opinationes haec praedicatur Stagiritae: *Ἀριστοτέλης μὴ εἶναι αὐτῆς ἀκήρατον τὸ σύγκριμα διὰ τὰ πρόσγεια ἀερώματα τοῦ αἰθέρος, ὃν προσαγορεύει σῶμα πέμπτον. Ἀερώματα* vox nihili est, cuius loco Heerenus, quantumvis non inprobabiliter ad sententiam, frustra dedit *περιττώματα*, quam suspitionem Gaisfordo probatam Meinekius iure dicit omnes palaeographicae artis fines excedere. Itaque ipse *ἀπεράματα* ab *ἀπεράω* i. e. *excrementa* rescribendum duxit. Sed lubenter virum clarissimum inventum suum conpensaturum existimo meo *σαρώματα*, cuius vocabuli memoriam perspicue servavit grammaticus Bekkeri Anecd. gr. p. 434, 1 *ἀπουργοί· γωνίαι εὐτελεῖς εἰς ἃς τὰ σαρώματα συνῆγον*, quam glossam repetierunt et Suidas s. v. *ἀπουργοί* et Hesychius: *ἀπουργούς· γωνίας εὐτελεῖς καὶ ὅπου τὰ σαρώματα συνάγουσι*, ubi codex item corrupte *ἅρματα*. Inde in lexica nostra transfusum nullo adhuc veteris scriptoris exemplo firmari poterat. Ceterum depravati vocabuli emendationem me frustra puto quaesiturum fuisse, nisi opportune memineram loci Plutarchi Mor. p. 1089 b. qui librariorum stupore foede pessum datus ita editur: *ὥσπερ σωμάτων οἰκίᾳ τῇ ψυχῇ τοῦ σοφοῦ τὰ τῆς ἡδονῆς ἐκκλύσματα μένειν ἐῶντες μὴ λέγωμεν*, ubi olim (Quaest. Plut. I p. 52) commodissime verissimeque ut nunc credo

emendandum dixi *ὥσπερ σαρώματα ἐν οἰκίᾳ*, cuius emendationis me posthac paenituisse (Quaest. Plut. II p. 6) hodie vix mihi condonare possum. Verum huius quidem maeroris utilissimum esto solacium priscum illud *γηράσκομεν αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενοι*, quod qui me magis admiretur sibique ipsi scriptum dictitatumque opinetur nemo est. Quippe *σάρωμα*, convenienter regulis formatum, satis tutantur et erudita grammatici Bekkeri glossa et ipse opinor, siquidem recte emendatus est, Aristotelis locus; ac nihil prorsus est in vocalium concursu vitii, quod, ut fit inter duas breves facile coalescentes, pronuntiando conpensatur plenissime. Advertit hoc Eduardum Rasmum Francofurtensem, cuius perutilis de aliquot horum librorum locis extat disputatio edita Francofurti ao. 1863, ut pro eo, quod ego in altera harum quaestionum particula argutius quam verius periclitatus eram *ὡς περισσώματα κοιλίᾳ**) *τῇ ψυχῇ τοῦ σοφοῦ τὰ τῆς ἡδονῆς ἐκκλύσματα μένειν ἐῶντες κτλ.*, scribere institueret *ὥσπερ σύρματα ἐν οἰκίᾳ τῇ ψυχῇ*, quod quamvis per se haud inepte poni potuisse non negaverim, tamen aliquanto longius distat a litterarum vestigiis, quibus tamen ingrediendum est, quam *σαρώματα*, ut si horum alterutrum optandum sit, plane non ambigi posse videatur.

Sed admonet me haec Epicureorum luxuriae cavillatio alius cuiusdam loci Symposiacorum III, 6, 4 p. 655 d *τὸ δὲ μακάριον καὶ ἄφθαρτον ἔστω μὲν οἷον αὐτῷ (Ἐπικούρῳ) μὴ φροντίζον* (ita recte Duebnerus pro vitioso *φροντίζειν*) *τῶν καθ' ἡμᾶς· ἡμῖν δὲ τῷ νόμῳ πόλεως εὖ ἑπομένοις*

---

*) Perperam me mea fortasse culpa intellexit Rasmus l. l. p. 4, quasi *ἐν* ante *τῇ ψυχῇ* repeti potuisse contenderem, vel convenienter id quisquam fieri posse contendere posset vel denique unum tantum alterumve eius insolentiae reperiretur exemplum. Locutus eram de sollemni ac decantata nunc paene praepositionum in brevioribus conparationibus omissione, qua de re quid statuendum sit, post ea quae Cobet (Mnem. 1858 p. 326. 1859 p. 289) identidem adnotavit aliique ante eum plurimi (Dorvill. ad Charit. p. 283 L.), nulla prorsus hodie potest esse dubitatio. Illud tamen haud dubie rectissime monuit Rasmus, nullam fuisse causam, cur propter hiatum secluderetur praepositio *ἐν* post *σαρώματα*. Sed cum primum tum ingressus essem in lubricam de hiatus vicibus in Plutarchi scriptis moralibus doctrinam, utpote in locis aviis occultisque timidior volebam videri quam parum cautus.

ἐξευλαβητέον ἐστὶν εἰς τὸ ἱερὸν (cod. *εἰς θέρος* quod corr. Reiskius) *ἐμβάλλειν καὶ κατάρχεσθαι θυσιῶν, ὀλίγον ἔμπροσθεν διαπεπραγμένοις τι τοιοῦτον*. In his parum recte Duebnerus ex cod. Paris. 1860 in paucis vitiosissimo, articulo *τῷ* substituit *πω*, cuius nullus plane hic est locus; nec tolerandus erat haud dubie vocalium concursus inter *εὖ ἑπομένοις*, cum praesertim, si rem ipsam intuearis, *εὖ* adiectum videatur ineptissime. Id quod Reiskium commovisse suspicor ut post *εὖ* aliquid excidisse pronuntiaret in hanc sententiam *εὖ ποιοῦντας ἑπομένους*, promptius credo quam deliberatius. Nimirum locus perexigua correctione indiget, ut et removeatur hiatus et sententiae adpareat convenientia. Scripserat enim Plutarchus *ἡμῖν δὲ τῷ νόμῳ πόλεως συνεπομένοις ἐξευλαβητέον ἐστίν*, quam locutionem praeivit Plato de Legg. XI p. 916 d *τῷ νόμῳ ξυνεπόμενος* conl. Plut. Mor. p. 735 a *ὡς Ἐπίκουρος οἴεται μέχρι τούτου Δημοκρίτῳ συνεπόμενος* et p. 81 e *ὥσπερ θεῷ τῷ λόγῳ ταπεινὸς συνέπεται*. De lege autem, qua sacrificiis rite operam daturi religionis causa a concubitu prohibiti esse dicantur, multa conlegi Quaest. Plut. III p. 39, quibus hodie addiderim praeter notissimum Tibulli II, 1, 9 sqq.:

Omnia sint operata deo: non audeat ulla
  Lanificam pensis inposuisse manum.
Vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris
  Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis:

S. Chrysost. de virg. p. 98, 44 *πειρᾶται ἐμποδίζειν ἡμῖν κατὰ τὸν τῆς προσευχῆς καιρὸν ὁ διάβολος, ἐὰν διακεχυμένην λάβῃ ψυχὴν καὶ ὑπὸ τῆς πρὸς τὴν γυναῖκα συμπαθείας μεμαλαγμένην, τί οὐκ ἐργάσεται τῇδε κἀκεῖσε καὶ τῆς διανοίας ἀναρριπίζων ὀφθαλμούς; ὅπερ ἵνα μὴ πάθωμεν-κελεύει* (*ὁ Παῦλος*) *τῆς κοίτης ἀπηλλάχθαι τότε*. Quod autem in prioribus cum lacuna septem litterarum scribitur in Vind. *πολλοὶ δὲ ἕκαστον ἀγῶνες ἐκδέχονται δι' ἡμέρας, γυμνάσια δὲ ὡς ἔπος εἰπεῖν ἅπαντας· οἷς οὔτε καλὸν οὔτε συμφέρον οὕτω διακείμενον τὸ σῶμα παρέχειν λυσσιώσῃ συνουσίᾳ δια..... κτλ.* id Duebnerus Vulcobio auctore, aliis alia nullo cum successu temptantibus, redintegrandum opinabatur *διαλελυμένον*. Id si in codicibus castigatioribus scriptum reperiretur, haud sane inpro-

bandum esset*), ut nunc res est, dubitare licebit, num Plutarchus potius scripserit *διακεχυμένον*, quod et insigne ad efficacitatem significationis est verbum (Wyttenb. ad Mor. p. 595 Ox.) et frequentatur Plutarcho aliisque de corpore animave voluptate *diffuso*, ut contrarium fere habeat *συστέλλεσθαι* (Wyttenb. l. l. p. 103.) Atque simillima prorsus

---

*) Cfr. Quaest. Plut. IV p. 32. Locis ibi adlatis addendus erat Plut. Mar. 36 *τῷ σώματι πρὶν ἐκλελύσθαι παντάπασιν* et Isocr. Paneg. 150 *πρὸς τὸν πόλεμον ἐκλελυμένος*, quibus conpono ex recentioribus Niceph. Phoc. de vel. bell. p. 192, 17 (*οἱ ἵπποι*) *ἐν καιρῷ πολέμου ἐκλελυμένοι εὑρίσκονται* conl. Schoemann ad Cleom. p. 181. Ceterorum quae in quarta quaestionum particula disseruimus hoc accedat supplementum:

Pag. 7 adde Athen. I p. 16 a *δήσας ὀπίσω τὼ χεῖρε δεδεμένον ἐλαύνει* et Hom. Φ 30 *δῆσε δ' ὀπίσσω χεῖρας ἐυτμήτοισιν ἱμᾶσιν*, quibus exemplis res magis etiam absolvitur.

Pag. 8. Exemplis quae contra loquuntur adde Ael. v. h. XIV, 22 *ἀφίκετο εἰς τὴν ἀγοράν, εἶτα ἔκλαε στὰς πολλοῖς ἅμα καὶ θολεροῖς δακρύοις*, ut nunc de necessitate emendationis meae subdubitem, cum praesertim etiam Lucianus Luc. 37 sibi permiserit *ὁρῶν τὰ πρῶτα ἔτρεμον ἑστώς*, quamquam idem in dial. meretr. 14, 1 praeoptavit *ἕστηκα δακρύων*. Utcunque res est, multo certe frequentius, quam ego et lexicorum conditores opinati sumus, apud prosae orationis scriptores occurrit *στένειν* veluti Luc. dial. meretr. 11, 1 Luc. 35 Xenoph. Ephes. II, 8 Themist. or. p. 92 a Dio Chrysost. or. XLVII p. 135, 15 D. S. Chrys. p. 186, 10 p. 393, 6 p. 395, 6 Anna Comn. p. 21, 3 p. 247, 8 (alias p. 22, 15 in aor. *στενάξας καὶ ἐπιδακρύσας*) Zonar. Annal. I, 3 p. 24, 11. De verbo *τυρεύειν* figurate dicto conferendus adhuc Zonar. l. l. III, 5 p. 221, 7 et Theophyl. hist. IV p. 158, 11. *ὁ ἐμφύλιος κατατυρεύεται πόλεμος*.

Pag. 10 sqq. adde: *χρόνον πολύν* eodem fere semper ordine ponit Procopius veluti hist. arc. p. 94, 11 p. 98, 23 etc. et probatiorum Athenaeus; permutato ordine, quem cum gravius anteponi oporteat leviori, usu magis tritum dixi praesertim apud Plutarchum, invenitur etiam Symp. V, 7, 5 p. 682 c, cuius conlocationis primitias et quasi libamenta dedit Homerus Γ *τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν*. *Πόλεις ἄλλας πολλὰς* conponit etiam Anna Comn. p. 22, 3. Eadem consuetudo evicit, ut apud Heliodorum II, 3 poneretur *σὺν ἱδρῶτι πολλῷ* conl. Athen. V p. 178 f (*πολλοῖς ἱδρῶσι καὶ αἵμασιν* Leo Diac. p. 176, 17), *σὺν τόνῳ πολλῷ* Zosim. p. 459 d, quamquam idem ex solito variavit, cum scriberet *σὺν πολλῷ πόνῳ* p. 453 a et p. 458 b (versa tamen vice p. 359 c) et p. 343 b *σὺν οὐ πολλῷ πόνῳ*. Contrario rursus modo *πόνῳ πολλῷ* fere semper Procopius, veluti hist. goth. p. 381, 7 p. 513, 16 p. 526, 4 p. 532, 9 p. 587, 21 hist. arc. p. 126, 2 atque similiter *ξὺν δέει πολλῷ* hist. arc. p. 25, 1 Anna Comn. p. 288, 5; *ξὺν τρόμῳ πολλῷ* Procop. h. arc. p. 32,

orationis conformatione in simili causa locutus est S. Chrysost. de virg. l. l. *ἐὰν διακεχυμένην λάβῃ ψυχὴν καὶ ὑπὸ τῆς πρὸς τὴν γυναῖκα συμπαθείας μεμαλαγμένην*, quibus confero Plat. de Legg. VI p. 775 c *καὶ πρὸς τούτοις δεῖ μὴ τῶν σωμάτων διακεχυμένων ὑπὸ μέθης γίγνεσθαι τὴν παιδουργίαν*.

---

21 p. 93, 6 (*φόβῳ πολλῷ* Theophyl. hist. p. 342, 13); *ξὺν βίᾳ πολλῇ* Procop. b. goth. p. 452, 11 (*σὺν εὐταξίᾳ πολλῇ* Anna p. 192, 16), *θορύβῳ πολλῷ* p. 596, 23 coul. hist. arc. p. 100, 14; *κόπῳ πολλῷ* b. goth. p. 387, 12 p. 535, 1 *πόνῳ τε καὶ χρόνῳ πολλῷ* p. 381, 21 et sic deinceps apud ceteros innumerabiliter. Eundem atque Plutarchum ordinem, quippe ratione sancitum, in conlocandis e. g. *φόνον ἐποίησε πολύν, φυγὴν ἐποίησε πολλήν* similibus, servare vides haud raro etiam recentiores, veluti Zosimum p. 459 d *φόνου γενομένου πολλοῦ*, p. 375 a *καὶ φόνος ἦν πολύς*, Procopium b. g. p. 257, 5 *φόνος ἑκατέρων πολύς*, p. 53, 16 *φόνος ἐνταῦθα πολὺς ἐγεγόνει* coul. p. 370, 17 p. 378, 21 p. 595, 1 p. 66, 3 et eodem ordine Zosim. p. 466 d *φόνος παραπληθὴς ἐγένετο*, Anna Comn. III, 12 p. 185, 22 *ἀνδροκτασίας ἐντεῦθεν πολλῆς γεγονυίας* similia, quamquam alias apud hanc rursus incerta sede vagatur *πολύς*, ut in *πλοῦτος πολύς* p. 97, 17 (ita etiam Niceph. Bryenn. I, 10 p. 30, 12) et *πολὺς χρυσός* p. 108, 3, atque ita etiam, ut in his me contineam, Theophyl. hist. p. 128, 24 *φόνου πολλοῦ περικυμαίνοντος* coul. p. 148, 12 et p. 42, 18 *φόνον πολὺν χειρουργήσουσιν* ac similiter p. 46, 18. *θάνατον πολὺν ἀπεσχεδίασεν* et ita etiam apud eundem Theophylactum solemni ordine succurrit *φόνῳ πολλῷ* p. 279, 21, quod tertio casu vix aliter coniunctum deprehendas. Sed ne quis omnino fixa credat, nec illa inprobari reperies Heliod. Aethiop. I, 2 *καὶ τὸν ὁρώμενον πολὺν φόνον ἐργασαμένην* et I, 3 *πολλοὺς φόνους*, Zosim. p. 394 c *πολὺν εἰργάσατο φόνον* coul. p. 426 b. Procop. b. goth. p. 166, 24 *πολύς τε αὐτῶν γέγονε φόνος* coul. p. 434, 10. His catervatim addam similia apud Leon. Diac. p. 136, 15 *ἀμύθητον φόνον*, p. 171, 16 *πολὺν φόνον* coul. p. 10, 6 et priorum Procop. b. g. p. 596, 2 *πλείω φόνον*, Theophyl. hist. p. 46, 11 *πολὺν ἀπεργάζονται φόνον* coul. p. 256, 17 et p. 72, 14 *μέγιστον φόνον εἰργάσατο* etc., in quibus, ut apud alios ferreae huius catenae scriptores, iuxta cum paulo antiquioribus et Plutarcho, sine ullo sententiae emolumento vel temperamento usitatiorem migrare vides ordinem. Immo in mente et voluntate scribentis posita est variandae pro tempore conlocationis ratio. Ut haec quidem ac similia neque apud Plutarchum nedum apud inferiores ulla vincini patiantur regula. Quamquam quae a me delibata potius quam exhausta sunt testimonia, equidem profiteor parum mihi adhuc videri ad minutam hanc quaestionem omnibus partibus rite absolvendam. Cui incommodo, cum exemplorum copia reapse sit caput et principium totius causae, facillime occurri potest, si alii animo semper ad has quis-

Ut passim *καί* pro dorico *κα* inrepsit, ita non semel *καί* proximum *κα* absorpsit. Insigne huius rei exemplum extat in eodem Symposiacorum libro qu. 8, 1 p. 656 c, ubi conspirant libri omnes in hac lectione *φησὶ γὰρ* (*Ἀριστοτέλης* cfr. Probl. s. III, 2), *οἶμαι τοῦ μὲν νήφοντος εὖ καὶ τὰ ὄντα κρίνειν τὸν λογισμόν.* Haec qui ferri non posse vidit Reiskius,

---

quilias intento suum quisque scriptorem perlegere non detrectant; quorum testimonia si adcurata diligentia digesta erunt, non dubito quin multo certius inde emanet iudicium, quod caduca mea stabiliat, inceptis adstruat, defecta suppleat.

Pag. 13. Quod de more imperatorum byzantiorum rubras ocreas, utpote imperii insigne, gestandi in transcursu disserui, commodissime firmari poterat etiam Leon. Diac. verbis p. 41, 13 *ὁ δὲ καταδέχεται τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ ἐρυθρὸν πέδιλον* conl. p. 90, 15 p. 113, 17 p. 121, 14 et Anna Comn. p. 112, 16 *τὸ φοινικοβαφὲς πέδιλον*, p. 114, 4 *τὸ ἐρυθροβαφὲς ὑπόδημα*, p. 129, 17 *τὰ ἐρυθρὰ πέδιλα* et figurate p. 134, 14 Niceph. Bryenn. p. 7, 3 Eustath. d. Thessal. urbe p. 279, 80. *καὶ περίθεσις παρασήμων τῇ βασιλείᾳ πεδίλων.* Sed nihil omnino Zonaras de aequalibus suis cogitasse videtur, immo etiamnunc verba *καὶ πεδίλοις ἐχρῆτο ἐρυθροῖς* Plutarcho reddenda existimo.

Pag. 14. Adde Plut. Symp. p. 715 f *ὥσπερ τινὰς διπλόας ἀναπτύσσει τῆς ψυχῆς.*

Pag. 17. Adde Theodect. ap. Stob. ecl. phys. I p. 30, 11 M. *ὅταν φωραθῶσιν ὀφθέντες κακοί·* Athen. l. p. 6 f *ἐπεὶ τὴν ἐρωμένην ἐφωράθη διαφθείρων* conl. Ioseph. b. i. IV, 4, 3 *ἐφωράθη τις ἀπιών·* Procop. d. b. goth. p. 408, 11 *κακουργῶν ἐς τὴν πολιτείαν ἐφωράθη* et Zosim. p. 412 c *προδοσίᾳ τὸ σκευωρηθὲν ἐφωράθη* et sexcentiens apud Byzantios.

Pag. 19. Ita etiam pluralis *ἄλφιτα* obtinet apud Athen. p. 44e 113a 115 c 137 e 140 d f. 141 c 148 f 150 f 297 f 381 b c etc., nec tamen sine argutula exceptione ut p. 10 d, ubi habes *μετ' ἀλφίτου καὶ τυροῦ.* Apud Zonaram, qui ad locum Numae c. 8 suggessit pluralem, nusquam memini me legere singularem; ita III, 12 p. 250, 7 commemorat *πήραν ἀλφίτων πλήρη.*

Pag. 20. Ad verba Xenophontis de re equestri IV, 2 *ἀρχόμενα πάντα εὐιατότερα ἢ ἐπειδὰν ἐνσκιρρωθῇ τε καὶ ἐξαμαρτηθῇ τὰ νοσήματα* conf. adhuc S. Chrys. ad vid. iun. p. 190, 41 *τῶν τραυμάτων πολλὴν ποιεῖσθαι τὴν πρόνοιαν, ὥστε μὴ παροφθέντων μείζονα τοῖς δάκρυσι παρασχεῖν τὴν πληγὴν, καὶ τῆς ὀδύνης σφοδροτέραν τὴν φλόγα ἐργάσασθαι.*

Pag. 23. Praeter ea quae Mordtmanno ad pleniorem de Amazonibus narrationem commendavi ex Zonarae Annalibus, quorum praeclara ope feliciter nobis videbamur redintegrasse Plutarchum in vita Pompei, aliquanto memorabiliorem proferre poteram locum e Procop. d. b. goth.

locum luxatum esse et in hunc modum redintegrandum arbitratus est: *εὖ καὶ καλῶς τὰ ὄντα κρίνειν.* Sufficit lenissima correctio *εὖ καὶ κατὰ τὰ ὄντα κρίνειν*, quibus oppositi sint apud Platonem in Phaedr. p. 262 b *οἱ παρὰ τὰ ὄντα δοξάζοντες* i. e. qui secus iudicant atque res revera habent.

IV, 3 p. 470 sqq., cuius nullum apud Mordtmannum extat vestigium. Ac simile quiddam etiam, atque Zonaram, suspicor Georgium monachum dictum Hamartolum significasse (ed. E. de Muralto p. 28) in his: *Ἀμαζόνες δὲ ἄνδρας οὐκ ἔχουσιν, ἀλλ' ὡς τὰ ἄλογα ζῷα ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ περὶ τὴν ἐαρινὴν ἰσημερίαν ὑπερόριοι γίνονται, καὶ μιγνύμεναι τοῖς γειτνιῶσιν ἀνδράσιν ὡς πανήγυρίν τινα καὶ [μεγάλην] ἑορτὴν τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἡγοῦνται, ἐξ ὧν [καὶ] κατὰ γαστρὸς συλλαβοῦσαι παλινδρομοῦσιν οἴκαδε πᾶσαι. Τῷ δὲ καιρῷ τῆς ἀποκυήσεως τὸ μὲν ἄρρεν φονεύουσι, τὸ δὲ θῆλυ ζῳογονοῦσι καὶ ἐπιμελῶς ἐκτρέφουσιν.* Sed omnino non satis sollerter opinor in his rebus versatus est vir doctissimus. De cetero *πατέρες* eodem plane modo usurpavit Plutarchus Symp. V, 7, 4 p. 682 a *ἔνιοι δὲ καὶ πατέρας ἔχειν ὀφθαλμὸν βάσκανον ὑπολαμβάνουσιν.*

Pag. 24. provocare poteram ad Cobet Mnem. 1859 p. 259: *πείθω σε* est *induco te ut credas*, *ἀναπείθω σε* *inpello, permoveo te* ad aliquid agendum.

Pag. 28. Adde similem locum Procop. b. g. II, 1 p. 147, 4 *Γότθοι μὲν οὖν τῇ τε φωνῇ ἐπισπόμενοι καὶ ὑπὲρ τῆς κατώρυχος διακύψαντες ἐπυνθάνοντο ὅστις ποτὲ βοῶν εἴη.* cuius loco Anna Comn. p. 121, 4 conl. p. 138, 1 dixit *ἄνωθεν προκύπτειν.*

Pag. 29. Pro *φωτὶ* vel *λύχνῳ θιγεῖν* verae similiorem fortasse proposuisse videbor emendationem, si corrigendum suasero *πυρὶ θιγεῖν* propter Symp. V, 7, 2 p. 681 c *τοὺς τὸν Μηδικὸν νάφθαν θαυμάζοντες ἐκ διαστήματος ὑπὸ τοῦ πυρὸς ἀναφλεγόμενον.* Hoc sane vel prima fronte adparet, librariorum culpa aliquid extrusum esse; sed quale id fuerit propterea potissimum incertum, quod multa comminisci pari probabilitate licet.

Pag. 30. Praeter ea quae ad stabiliendam suspicionem meam *ἐν Νωνάκριδι τῆς Ἀρκαδίας οὔσης* in medium prolata sunt, commemorare debebam Porphyrium apud Stob. Ecl. phys. I p. 309, 28 M. *Στὺξ ἐν Νωνακρίνῃ τῆς Ἀρκαδίας ὕδωρ ἐστὶ τὸ διακόπτον πάντα τὰ ἀγγεῖα πλὴν τῶν κερατίνων* et Vitruv. de archit. VIII, 3, 16: item est *in Arcadia Nonacris* nominata terrae regio, quae habet in montibus e saxo stillantes frigidissimos humores. Quae testimonia ad nostram causam appositissima sunt.

Eadem pagina ad verba *ὥσπερ κηλίς τις πρόσεστιν*, in quibus *τις* Zonarae beneficio accrevit Plutarcho, hodie cum recens sim a lectione Sancti Chrysostomi, addiderim hom. I ad popul. Antioch. p. 335, 53 *ὅταν*

Qui falso nostra aetate se iactant medici *ὁμοιοπαθοῦντας* vel *ὁμοπαθοῦντας*, cum quid mali experiantur aegroti, rarissime perpetiantur ipsi, a Plutarcho praeter alias quasdam res haud inutiles, non sine voluptate quadam discere poterunt, quam altis dulcicula ipsorum doctrina in cana vetustate defixa sit radicibus, quamque praeclare sapuerint veteres in definiendo prout plus minusve sumatur medicaminis effectu. Verum

---

κηλῖδά τινα προστρίψωνται κτλ. et p. 344, 48 *εἴ τινας κηλῖδας ἔχομεν.* Postea huius vocabuli usus sensu figurato paullulum remisit, sed a serioribus resumptus est.

Pag. 31. Parum considerate sumpsi, fieri potuisse ut exciderit conpendium formulae *καὶ τὰ λοιπά* vel *καὶ τὰ ἕτερα*, siquidem hac dicendi forma nusquam usus esse videtur Plutarchus. Itaque aut scribae locum conpendifecerunt aut excidit hoc ipsum *καὶ τὰ ἑξῆς*, Plutarcho certe (Straboni nunquam) satis usitatum, ut magis tamen inclinem ad credendum versiculos ad intellectum loci necessarios furtim omissos esse, cum luculentum in promptu sit similis interpolationis documentum apud Strabonem XV p. 687, ubi quae post Sophoclis versus statim sequuntur sat inficeta verba: *καὶ τὰ ἑξῆς· καὶ μηροτραφὴς δὲ λέγεται*, utpote insiticia rectissime exclusa sunt ab interpretibus.

Pag. 32 adde: *ἀτρεμεῖν* et *ἠρεμεῖν* coniunxit Leo Diacon. p. 13, 14, *ἡσυχάζειν* et *ἠρεμεῖν* S. Chrysost. p. 436, 20; ceterum verbi *ἠρεμεῖν* creberrimus est apud sequiores usus.

Quod eadem pagina de loco Alex. c. 58 et de Alex. virt. s. fort. p. 345 a, ubi pro inepto *τοὺς ἀτρώτους θαρρύνων* emendavi *τοὺς ἰατροὺς θαρρύνων*, disserui, aptissime conparari potest cum loco inprimis notabili Procopii, Plutarcheo plane colore temperato d. b. g. II, 2 p. 152, 20: *ἐπεὶ δὲ ἅπαντες ἐν τῇ πόλει ἐγένοντο, τῶν τραυμάτων ἐπεμελοῦντο. Ἄρζου μὲν οὖν τὸ βέλος ἀπὸ τοῦ προσώπου ἀφελέσθαι βουλόμενοι οἱ ἰατροὶ χρόνον τινὰ ἤσχαλλον, οὐχ ὅτι τοῦ ὀφθαλμοῦ ἕνεκεν, ὃν δὴ οὐκ ἄν ποτε σωθήσεσθαι ὑπετόπαζον, ἀλλ᾽ ὅπως μὴ ὑμένων τε καὶ νεύρων τρήσεσιν, οἷα πολλὰ ἐνταῦθα, ἄνδρα τῆς Βελισαρίου οἰκίας ἄριστον διαφθείρωσιν· ἔπειτα δὲ τῶν τις ἰατρῶν, Θεόκτιστος ὄνομα, ὄπισθεν ἐς τὸν αὐχένα ἐρείσας ἐπυνθάνετο τοῦ ἀνθρώπου εἰ λίαν ἀλγοίη. τοῦ δὲ ἀλγεῖν φήσαντος, οὐκοῦν αὐτός τε σωθήσῃ, εἶπε, καὶ τὴν ὄψιν οὐκ ἂν βλαβήσῃ· ταῦτα δὲ ἰσχυρίσατο τεκμαιρόμενος, ὅτι τοῦ βέλους ἡ ἀκὶς τοῦ δέρματος οὐ πόρρω διήκει· τοῦ μὲν οὖν ἀτράκτου ὅσον ἔξω ἐφαίνετο ἐκτεμὼν ἔρριψε, διελὼν δὲ τῶν ἰνῶν τὸ σῶμα, οὗ μάλιστα ὁ ἀνὴρ πολυώδυνος ἦν, ἐντεῦθεν πόνῳ οὐδενὶ τὴν ἀκίδα ἐφείλκυσε, τρισί τε προὔχουσαν λεπίσιν ὀξείαις καὶ μοῖραν τοῦ βέλους τὴν λειπομένην ξὺν αὐτῇ φέρουσαν. οὕτω τε Ἄρζης κακῶν παντάπασιν ἀπαθὴς διέμεινε καὶ οὐδὲ ἴχνος αὐτοῦ τῆς πληγῆς εἰς τὸ πρόσωπον ἀπελείπετο* conl. II, 5 p. 167, 6 sqq.

de hac re explicatius alibi commentabimur. Nunc exemplum promam. Ita quando soporata opus erit offa, si iustam quis cognoscere velit medicaminis *dilutionem*, ne aegrotus scilicet acuta quam dicunt apoplexi corripiatur, haud inportune meminerit Plut. Symp. III, 8, 2 p. 656 f *καὶ τῶν ὑπνωτικῶν ἔνιοι λαβόντες ἐνδοτέρω τοῦ μετρίου, θορυβωδέστερον διατίθενται· πλέον δὲ λαβόντες ἔνιοι, καθεύδουσιν.* Quod in his distinctis litteris inpressum est, Reiski admonitione adiutus secludendum putaverim, utpote orationis coagmentandae causa ab interpolatore adscriptum, etiam in proximis quaestionibus nisi coniectura fallit multis modis grassato. Nam quominus dittographia invectum credam, inpedior insigni apud Plutarchum huius vitii raritate. Ac videtur sane hoc additamentum eiusdem fabricae esse, ad quam mirifica lectio cod. Vind. referenda est in quaestione c. 7, 2 pag. 656 a *τῶν δ' ἰατρῶν τινας λέγει τοὺς πλέον πιόντας κελεύειν [ἐμεῖν], εἶτα ὅταν μέλλωσι καθεύδειν, ἄρτον εἰς μέλι καταβάψαντας ἐμφαγεῖν ἔδοσαν*, quae quo pacto inter se conciliari possint non video, videbunt fortasse acutiores. Videtur autem, ne scrupulosius quaeram, *ἔδοσαν* nihil aliud nisi nasutuli interpolatoris animadversio, qui cum per errorem omissum esset *ἐμεῖν*, Macrobi demum ope recuperatum, verba non bene coire sentiebat. Ut causa adiectionis haec fuisse videatur, quod scribae mentem in libris medicorum versatissimi notissima ista subierunt *δοῦναι πιεῖν, φαγεῖν* similia plurima, quamquam ne ita quidem citra altioris vulneris suspitionem adiectum esse fateor.

Statim sequuntur haec *εἰκὸς δέ που καὶ ταύτην τὴν περὶ τὸν ἀκροθώρακα ταραχὴν, ὅταν ἀκμὴν λάβῃ, μαραίνεσθαι καὶ πρὸς τοῦτο συνεργεῖν τὸν οἶνον· πολὺς γὰρ εἰσελθὼν, τὸ σῶμα συνεξέκαυσε καὶ κατανάλωσε τὸ μανιῶδες τῆς ψυχῆς.* Disputat hic Plutarchus de prodigioso quodam vini effectu, qui magis fortasse cuipiam videri poterit prodigiosus, quam quod Plinius crebriore vini potu mulae adeo calcitratum inhiberi tradidit. Scilicet prout plus minusve bibatur vini, variabilem quodammodo existere vim eius atque effectum, ut modice sumpto vino (*οἶνος τοσοῦτος ὅσος ἱκανὸς ἂν γένοιτο πρὸς εὐθυμίαν* Athen. V p. 191 f) vehementius etiam commoti videantur potores, quam qui maiora ad ebrietatem usque

hauserint pocula, ubi animi adfectus plus iusto perturbati, mirifica ipsius vini vi identidem sumpti sensim defervescant*) potique ab ebrietate consanescant. Quemadmodum qui soporifera epotant infra iustum modulum, turbulentius concitari solent, quam qui largius eis uti iubeantur. Quid in his veri sit, nemo opinor ignorabit quicunque procaces *τῶν ὑποπεπωκότων* expertus fuerit mores atque licentias, et magis etiam patescet, cum conparaveris, quod Propertius cecinit de *lingua adsiduo mero sepulta* eorum, qui, ut lepide indicavit Athen. V p. 180 a *τοσοῦτον πίνουσιν ὥστε μηδὲ τοῖς ἰδίοις ποσὶν ἵστασθαι.* Atque hoc quidem vini miraculum reapse veteribus non ignotum neque inexpertum fuisse, testatum facit praeter notissimum illud *οἴνῳ τὸν οἶνον* vel *κραιπάλῃ τὴν κραιπάλην ἐξελαύνειν* (Plut. Mor. p. 127 f.)**) idem Athenaeus III p. 109 e *καθάπερ ἀνανήφειν πολλάκις γίνεται τὸν μεθύοντα, τὸν αὐτὸν τρόπον ὑπὸ τῆς ἡδονῆς ἀναπεινῆν γίνεται τὸν ἐσθίοντα,* quamquam illo loco discrepans paullulum a Protea, qui in convivio Carani exclamasse dicitur:

ὁ πλεῖστα πίνων πλεῖστα κεὐφρανθήσεται.

Iam si haec ita ut dixi interpretare, non video quomodo recte stare potuerint: *πολὺς γὰρ εἰσελθὼν (οἶνος) τὸ σῶμα συνεξέκαυσε καὶ κατανάλωσε τὸ μανιῶδες τῆς ψυχῆς.* Nam quid tandem est hoc, si multum hauriatur merum, una cum corporis inflammatione animi furorem sedari? Et quomodo haec congruunt cum eis quae proxime promuntur: *ὥσπερ ἡ θρηνῳδία καὶ ὁ ἐπικήδειος αὐλὸς ἐν ἀρχῇ πάθος κινεῖ καὶ δάκρυον ἐκβάλλει, προάγων δὲ τὴν ψυχὴν εἰς οἶ-*

---

*) Conf. Macrob. Saturn. VII, 7, 17: Addo aliud, naturali ratione ebrietati dulcedinem repugnare, adeo ut medici eos qui usque ad periculum distenduntur vino plurimo cogant vomere: et post vomitum contra fumum vini qui remansit in venis panem offerunt melle inlitum, et ita hominem ab ebrietatis malo dulcedo defendit.

**) Quod nasutiores nostratium potores, quibus *maiores haurire trientes non est pudor*, pervolgato acumine dicunt *pilos caninos super stomachum inponere*, quando hesternae conpotationis exhalandae causa novos sumunt cyathos cum salsamentis, quemadmodum in Carani synposio convivae perhibentur potasse *εὐμαρῶς, ὥσπερ ἀντίδοτον ἐκ τῆς προτέρας ἀκρατοποσίας λαμβάνοντες* apud Athen. IV p. 130 c, quod alias dicitur *ἥλῳ ἧλον ἐξωθεῖν* ut apud Eustath. in Ananiam etc. martyras p. 52, 12.

κτον, οὕτω κατὰ μικρὸν ἐξαιρεῖ καὶ ἀναλίσκει τὸ λυπητικόν· ὁμοίως ἴδοις ἂν καὶ τὸν οἶνον, ὅταν σφόδρα ταράξῃ καὶ παροξύνῃ τὸ ἀκμαῖον καὶ θυμοειδὲς αὖθις καταδύοντα καὶ καθιστάντα τὴν διάνοιαν, ὡς πορρωτέρω μέθης προϊοῦσαν ἡσυχάζειν? Ac videtur sane aliquid vitii suboluisse Wyttenbachio, cum *συνεξέκαυσε* mutandum censeret in *συνεξέλυσε* vel *συνεξέκλυσε*, quae si consulimus nexum verborum, volgato non multo esse meliora iudicabimus. Itaque nescio an locus hac potius curatione consanescere videatur: *πολὺς γὰρ εἰσελθὼν εἰς τὸ σῶμα συνεξέπαυσε καὶ κατανάλωσε τὸ μανιῶδες τῆς ψυχῆς*, quae interpretari licet: *vinum corpori largius inlatum (simulatque infertur) furorem animi cessare facit consumitque*, idque non mediocriter firmare videtur ipse Plutarchus in proximis, cum dicit *ὥσπερ ἡ θρηνῳδία καὶ ὁ ἐπικήδειος αὐλὸς ἐν ἀρχῇ πάθος κινεῖ — οὕτω κατὰ μικρὸν ἐξαιρεῖ καὶ ἀναλίσκει τὸ λυπητικόν.*

At etiam proxima laborare videntur non nullis difficultatibus. Parum recte enim, ni fallor, *θρηνῳδία καὶ ὁ ἐπικήδειος αὐλός* arguitur *δάκρυον ἐκβάλλειν*, quod ubique accipitur de eo *qui lacrimas fundit.* Nec aliter dicitur *ἐκβάλλειν αἷμα* (e. g. Syll. 37 coll. Artax. 11 *αἷμα τοῦ τραύματος ἐκβαλόντος*), *ἰὸν ἐκβάλλειν* (*ἰὸν καὶ πονηρίαν ἐκ τοῦ στόματος ἐκβάλλειν* S. Chrys. ad pop. Antioch. IV, p. 388, 32), *σπέρμα ἐκβάλλειν* (ut Plut. Symp. VIII, 9, 3 p. 733 c *ἐκβάλλοντα μετὰ πολλοῦ σπέρματος θηρίδιον κτλ.*, quod, nisi quis Plutarcho obtrudere vult spermatozoa, vel fieri posse autumat, ut mirifica ista bestiola in testiculos vel vesicam sese insinuaverit nescio quo modo, perinde atque ranulas cum aqua palustri inconsulto hausta in stomachum immigrasse ibique ad eximiam magnitudinem enutritas esse, serio olim edocti sumus pueruli, etiamsi Plutarcho concesseris aliquid harum rerum ignorantiae, adeo absurdum videri potest, ut non mirer, si quis *σπέρματος* e *πτύσματος* vel *φλέγματος* corruptum credat cfr. Buffon Op. Vol. IV p. 31 sqq.). Eiusdem generis sunt *φωνὴν ἐκβάλλειν* (Plut. Caes. 66), *ἴουλον ἐκβάλλειν* (Philostr. iun. p. 119, 26 Iac.), *ὀδόντας ἐκβάλλειν* (Herodot. VI, 107 Artemid. I, 31), *τὸν χαλινὸν ἐκβάλλειν ἀπὸ τοῦ στόματος* (de equis S. Chrysost. de S. Babyla p. 228, 23), quibus addi possunt alia multa. Atque eodem intellectu *δάκρυον ἐκβάλλειν*

usurpavit ipse Plutarchus Aem. Paul. 33 *καὶ δάκρυα πολλοῖς ἐκβάλλειν συνέβη*, et omnium saepissime Euripides, ut inde manasse credibile sit, veluti Hecub. 298 *ἥτις κλύουσα θρήνους οὐκ ἂν ἐκβάλοι δάκρυ*, Iphig. A. 451 *ἐκβαλεῖν αἰδοῦμαι δάκρυ* conl. v. 477 *ἐγώ σ' ἀπ' ὄσσων ἐκβαλόντ' ἰδὼν δάκρυ*, Iphig. T. 228 *(ξείνων) οἰκτρόν τ' ἐκβαλλόντων δάκρυον* conl. Ion. 924 Helen. 1336 Herc. fur. 933 Aeol. frag. XXIII*). Quodsi haec concedamus indubia esse, non video quid causae sit, cur *ἐκβάλλειν* ea licentia hic usurpatum esse sumamus, quam usus et ratio reprobare videatur. Quare reponi mallem *καὶ δάκρυον ἐκκαλεῖ* (conl. Plut. Pericl. 1 *τὴν διάνοιαν ἐπάγειν δεῖ θεάμασιν ἃ τῷ χαίρειν πρὸς τὸ οἰκεῖον αὐτὴν ἀγαθὸν ἐκκαλεῖ*) vel *δάκρυον ἐκβάλλειν ποιεῖ*.

Verbum *ἐκκαλεῖν*, cuius loco usitatius erat medium *ἐκκαλεῖσθαι*, commode me admonet, ut opem feram Plutarcho alio loco misere adhuc depravato in Erotic. p. 765 c, ubi, quicunque furentes amoris ignes restinguere eorumque in vicem *lumen* atque *fulgorem* substituere velint, corporis venustatem, cuius adspectu cocundi adpetitus suscitetur, *praeterire* iubentur, ut omni quae circa corporis florem versetur voluptate seposita, multo iam diviniorem praestantioremque consectentur *animorum* amorem atque coniunctionem, qua sapientia et reliquae virtutes pariantur. Haec quae Platonicam prorsus resipere vides doctrinam, ita expressa sunt *οὐκ ἂν ὁ πολὺς χρόνος, ἐν ᾧ τό τε σῶμα τὸ τῶν ἐρωμένων παρελθόντες ἔσω φέρονται, καὶ ἅπτονται τοῦ ἤθους, ἐκκαλούμενος τὰς ὄψεις, καθορῶσι καὶ συγγίνονται διὰ λόγων πολλὰ καὶ πράξεων ἀλλήλοις, ἂν περίκομμα τοῦ κακοῦ καὶ εἴδωλον ἐν ταῖς διανοίαις ἔχωσιν*. Quibus ut proba fiat sententia et singula recte cohaereant, promptissimum hoc admovebitur remedium ut scribatur *καὶ ἅπτονται τοῦ ἤθους καὶ ἐξακούμενοι τὰς ὄψεις καθορῶσι καὶ συγγίνονται διὰ λόγων πολλά κτλ.*, quae ita liberius interpretari licet: qui

---

*) In hoc transcursu notabo *δάκρυον ἐξάγειν* dixisse Plut. Mor. p. 69 f, *δάκρυα προάγειν* Eurip. Iph. A. 1550, *εἰς δάκρυα προάγεσθαι* (pass.) Zon. Annal. IV, 3 p. 314, 4 conl. p. 318, 12 (Ioseph. Antiq. Iud. XI, 5, 5 *μέχρι τοῦ δακρύειν προήχθησαν*), *δάκρυα ἐκφέρειν* Procop. h. a. p. 57, 3, *δάκρυον ὑποκινεῖν* S. Chrys. de Babyla p. 245, 5. Singulare est *τὸ δάκρυον καταλαμβάνει τινά* apud Annam Comn. V, 8 p. 262, 2.

adhuc in corporis venustate atque pulchritudine conspicienda acquiescere adsuerunt, quando adscendere cupiunt ad diviniorem amorem, unde virtutem et bonorum sermonum fructum sibi creare queant, ne voluptuariae denuo inrumpant imagines *laborantibus* quasi *oculis*, quippe venereo eorum quos amant adspectu depravatis, sanctiore adhibito amore medeantur necesse est, ut liberati iam ab omni corporis voluptate solam animi pulchritudinem consectari videantur. Sed ab hoc excursu rursus ad Symposiaca me referam.

Venimus iam ad locum lubricum et periculosum, in quo veniam habebimus, si in detegendo mendo acutiores simus quam in remedio adhibendo feliciores. Legitur in libro VI, 3, 2 p. 689 f *ἡ μὲν γὰρ δίψα τοῖς φαγοῦσιν ἐπιτείνεται, τῶν σιτίων τῇ ξηρότητι* d i e s p a r m e n o n *ὑγρὸν καὶ ἀπολειπόμενον ἀσθενὲς καὶ ὀλίγον ἐν τῷ σώματι συλλεγόντων καὶ συνεξικμαζόντων· ὥσπερ ἔξω γῆν ὁρῶμεν καὶ κόνιν* κ α ὶ μ ῶ λ ο ν τ ὰ μ ι γ ν ύ μ ε ν α *τῶν ὑγρῶν ἀναλαμβάνουσαν εἰς ἑαυτὴν καὶ ἀφανίζουσαν.* In his vel prima fronte adparet ante *διεσπαρμένον* addendum esse articulum servavitque eum Psellus Bussemakeri (cfr. Quaest. Plut. III p. 17 et IV p. 26) in subditivi Aristotelis Probl. p. 332, 21 Paris. *ἡ δίψα τοῖς φαγοῦσιν ἐπιτείνεται, διότι τὰ εἰσερχόμενα σιτία τῇ γαστρὶ* τ ὸ *διεσπαρμένον ὑγρὸν καὶ ἀπολειπόμενον καὶ ὀλίγον ἐν τῷ σώματι συλλέγουσι.* Relicua multas criticorum coniecturas pepererunt, quorum Turn. et Vulc. *ἢ καὶ κόνιν ἔτι μᾶλλον* vel *τίτανον*, Reiskius *βῶλον* vel *τίτανον*, Wyttenbachius *ψάμμον* vel *μαλλόν* coniciebat, quorum neutrum probo, posterius funditus reprobo; Meziriacus denique adstipulante Amioto *μᾶλλον* eliminabat, quod unde inrepserit frustra quaeres. Qui quod *μᾶλλον* pro corrupto habebant, fefellisse eos videtur dicendi usus, cuius cum alii (cfr. Schaefer ad Greg. Corinth. p. 52, 161 et quae conlecta habet Wyttenbachius ad Plut. de s. n. vind. p. 13), tum exempla certissima ipse Plutarchus praestat Lyc. 17 *καὶ προσεῖχον οἱ πρεσβύτεροι καὶ μᾶλλον*, Agesil. 13 *ἐχρῆτο τῷ καιρῷ καὶ μᾶλλον.* Ac fuit sane quam maxime quod pulveri maiorem quam terrae vim absorbendi humores adscripserit; quo accedit, quod tria vix videtur ita commemoraturus fuisse Plutarchus, quin in proximis participium *ἀναλαμβάνουσαν* plurali numero efferendum fuisse iure suspi-

ceris. Multo magis mira videri debent *τὰ μιγνύμενα τῶν ὑγρῶν*, quibus laudabo qui probabilem sententiam extuderit. Nam neque si per grammaticam liceret, humores qui miscentur terrae et pulveri commode dici possunt *absorberi*, neque probabilior eorum interpretatio videtur, qui humores terram pulveremque *attingentes* intellegunt, quod cur dictum adfirment de terra vel cinere bibulo (Plin. h. n. XVII, 37) quando a siccitate continua immaduerint imbre, mihi quidem inconpertum est. Coniectandi si copia datur, crediderim haec in hunc ferme modum a Plutarcho prodita esse: *ὥσπερ ἔξω γῆν ὁρῶμεν καὶ κόνιν καὶ μᾶλλον τὰ ὕομενα τῶν ὑγρῶν ἀναλαμβάνουσαν εἰς ἑαυτὴν καὶ ἀφανίζουσαν*. Hoc autem praesidio admisso sententia longe optima emergit haec: *sitis edendo intenditur, quod cibus in stomachum inlatus naturali sua siccitate humorem, cuius pusilla reapse in corpore copia extat, undeunde conligit exsiccatque, ut in rebus externis terram et cinerem aquas pluvias avide in se recipere atque abolere videmus.* Itaque rei cardinem versari vides in conparatione rerum adeo sitientium, ut quicquid accesserit humoris, dummodo non inundet, avide absorbeant. Verum enim vero conparatio corporis sitientis cum terra et cinere siccitate exhaustis, tanto magis adposita videri poterit, quoniam ut fames corpori alimentorum expetendorum evidens existit causa, ita terrae avide esurienti aquae coelestes quasi cibus sunt (Plin. h. n. XVII, 12 cibus arborum imber); neque cineris commemoratio prorsus abhorret a veterum re agraria (cfr. Didymus ap. Geop. XII, 4 *βελτίων κόπρος πάντων τοῖς λαχάνοις τέφρα* conl. Colum. II, 15). Quamquam *κόνις* etiam simpliciter quis dictum putare possit de pulvere, cuius quis fuerit usus in agricultura, discimus a Theophr. h. pl. II, 7, 5 Geop. III, 10, 2 Plin. h. n. XVII, 49. Hoc unum addiderim *τὰ ὑόμενα τῶν ὑγρῶν* opponi *τοῖς ἐπιρρύτοις* vel *λιμναίοις* vel etiam *πηγαίοις* seu *φρεατιαίοις*, quae quomodo sint discreta in re rustica intelleges ex Plut. Quaest. natur. 2, ubi p. 912 a post alia ab Aristotele *ψευδεπιγράφῳ* docemur *ὅτι πρόσφατόν ἐστι καὶ νέον ὕδωρ τὸ ὑόμενον, ἕωλον δὲ καὶ παλαιὸν τὸ λιμναῖον.* Sed plura de hoc capite dicenda sunt. Nam nec quae post pauca sequuntur *τὰ γὰρ ὑπὸ ξηρότητος ἢ πάθους ἀργὰ καὶ βαρέα μιγνύμενον (τὸ ὑγρόν) ἀναπέμπει καὶ συνεξαίρει* recte pro-

cedunt; procederent vero si scriptum esset *ὑπὸ ξηρότητος ἢ πλήθους*, quod dubitanter iam pridem proposuerat Reiskius, sed nemo obtemperavit. Ea demum recte contraria inter se referuntur. Cfr. Quaest. natur. p. 912 e, ubi oves ad lingendum salem adsuefieri narrantur *ὑγιείας ἕνεκα καὶ συγκοπῆς πλήθους*. *Πλῆθος* et *πάθος* fere ubique a librariis confundi videmus, qua de re dictum est in Quaest. Plut. III p. 12 et a Meinekio ad Alciphr. p. 170.

Iniuria credo Reiskium sollicitasse locum Symp. V, 7, 6 p. 683 a *ἵνα μή με δόξητε πόρρω νυκτῶν οὐσῶν ὑμῖν ἐπάγοντα φάσματα*. in quibus cum parum recte dici videretur *αἱ νύκτες πόρρω εἰσίν* pro *πόρρω ἐστὶ τῆς νυκτὸς* vel *τῶν νυκτῶν* (i. e. *horarum nocturnarum* cfr. Heindorf ad Protag. p. 463 et post eum Stallbaum ad Phileb. p. 158) *) inde efficiendum putabat *πόρρω νυκτῶν οὖσιν ὑμῖν*. Ac videntur sane in hac structura scriptores eandem constanter tenuisse rationem, quam sequuntur in notissimis illis *πόρρω εἶναι τῆς ἡλικίας* vel *τοῦ βίου* vel *πόρρω ἥκειν σοφίας* similibus multis (cfr. Iacobs ad Philostr. iun. p. 129, 6 Boissonade Philostr. Her. p. 588), in quibus genetivus suspensus sit a *πόρρω*, ut apud Plut. Rom. 5 *ἀνὴρ ἡλικίας ἥκων πόρρω*, Aem. Paul. 10 *ἡλικίας ἤδη πρόσω γεγονώς* vel omisso participio

---

*) Ut apud Plat. Protag. p. 310 d *λίαν πόρρω ἔδοξε τῶν νυκτῶν εἶναι* vel apud Herod. IX, 44 *ὡς πρόσω τῆς νυκτὸς προελήλατο*. His componunt Paul. Epistul. ad Rom. XIII, 12 *ἡ νὺξ προέκοψεν*, Appian. b. c. II, 78 Ioseph. b. iud. IV, 4, 6 *τῆς νυκτὸς προκοπτούσης καὶ τοῦ χειμῶνος ἐπακμάζοντος*, ac peraeque Zosimus hist. I p. 394 a scripsit *πόλεμον προκόπτοντα ἐπὶ χρόνον βραχύν*. Insolentius etiam et proprio Marte, ut videtur, comptiores Byzantii, credo similiter sonantis verbi adpulsu in alienum tramitem ducti, usurpant *προκύπτειν* de re proxime imminente, veluti Theophyl. hist. p. 51, 4 *μετοπώρου παρενέκυπτεν ὥρα*, p. 149, 1 *χειμῶνος ὥρα παρέκυπτε* et Leo Diac. hist. II, 7 p. 24, 14 *ἄρτι τοῦ ἦρος προκύπτοντος* conf. III, 11 p. 53, 24. Apud eundem ex veterum imitatione ponitur III, 1 p. 35, 1 *μεσοῦντος ἤδη τοῦ ἦρος* (Herodian. VII 3, 2 *μεσαζούσης ἡμέρας*), apud Procop. b. g. IV, 16 p. 510, 5 *θέρους μέσου*, cui accedat Leon. Diac. VII, 6 p. 121, 23 *μέσων τῶν νυκτῶν*, ut nesciam an apud eundem V, 9 p. 91, 10 non recte editum sit *μέσον τῶν νυκτῶν*, quam structuram usurpant Byzantii infimi ordinis, quamquam non multum differt eiusdem Leonis IV, 9 p. 69, 4 *θερείας ὥρας κατὰ τὸ μεσαίτατον*.

Cat. mai. 2 *παντάπασιν πόρρω ἡλικίας*, quod incolume praestat Demosth. 2 *ὀψέ ποτε καὶ πόρρω τῆς ἡλικίας*. Ad eandem classem referenda est formula Platonis Symp. p. 217 d *πόρρω τῶν νυκτῶν ad multam usque noctem*, quam adsciverunt etiam seriores, ut Procop. h. a. p. 80, 12 *τινὲς τῶν αὐτῷ παρόντων πόρρω που τῶν νυκτῶν*, b. g. p. 183, 18 *πόρρω τῶν νυκτῶν καθημένους πιεῖν*, cuius loco ad antiquiorum exemplum dicebant etiam nullo observabili discrimine *ἀωρὶ τῶν νυκτῶν*, rarissime *ἀωρὶ τῆς νυκτός*, veluti Sozom. hist. eccles. VI, 12, in qua structura, ab Antiphonte incohata, Byzantii effuse exsultant, omnium maxime Procopius b. g. p. 315, 6, p. 390, 9 Ioann. Cinnam. p. 269, 3 p. 274, 14 conl. Leo. Diacon. p. 19, 9 p. 52, 18 p. 113, 1 p. 175, 8 *ἄρτι τῶν νυκτῶν ἀωρί* p. 13, 15 p. 146, 11, semper praemisso articulo, ut apud prosae orationis scriptores si quando inferatur sine articulo magis describentium vitium quam scriptoris agnituri simus, e. g. apud Procop. b. g. p. 409, 20, ubi habes *ἀωρὶ νυκτῶν* pro *ἀωρὶ τῶν νυκτῶν*, quod olim fortasse diligentius excussis codd. verum esse adparebit, quamquam in tanta recentiorum inconstantia lubricum est severioribus eos adstringere velle legibus; *ἀωρὶ νύκτωρ* coniunxerunt Aristaenet. II, 19 Phalaris epistul. 88 Procop. b. g. IV, 29 p. 611, 22. Sed ne longius his minutiis, quas nemo paucis exhauriat, immoremur, oratio desinat in loco Symposiacorum. Ad quem defendendum nihil aptius eadem syntaxi conformatum afferre possum, quam Aesch. in. Ctesiph. 122 *ἤδη δὲ πόρρω τῆς ἡμέρας οὔσης προσελθὼν ὁ κῆρυξ ἀπεῖπε*, quamquam non ignoro hoc ipsum utpote neque Aeschineum neque omnino graecum ab Hamakero in Mnem. 1859 p. 13 (cfr. Franke Praef. ad Aesch. ed. alt. p. XXII) suspectatum fuisse, cum scribendum proponeret *ἤδη δὲ πόρρω τῆς ἡμέρας ὄντος*, qua emendatione carere licet, si participium *οὔσης* ab aliena manu accessisse statuas. Ut nunc est res, cum vix certo dicas, quibus finibus scriptores senescentis potissimum graecitatis hanc dicendi formulam circumscripserint, in utroque loco tenenda videtur codicum lectio, cum praesertim nondum suppetat exemplum locutionis *ἤδη δὲ πόρρω τῆς ἡμέρας ὂν* vel etiam *ὄντος* ad analogiam atticae consuetudinis conformatae, cui proxime accedunt haec Procopiana b. g. I, 18 p. 93, 11 *ἐπεὶ δὲ πόρρω ἦν τῶν νυκτῶν*, I, 10 p. 50, 1 *ἐπειδὴ*

πόῤῥω ἦν τῶν νυκτῶν, quod repetit II, 24 p. 244, 10. Eadem de *πόῤῥω* vocabulo observatio admonet me loci Symp. IV, 1, 2 p. 662 a, ubi cum intolerabili hiatu legatur *τοῦτο γὰρ ποῤῥωτέρω ἐξάγει τῆς χρείας*, tutissima emendandi ratio verborum erit transpositio: *τοῦτο γὰρ ἐξάγει ποῤῥωτέρω τῆς χρείας*.

Item non opus videtur, ut ad emendationem editae lectionis confugiamus VI, 5 p. 691 a, ubi inquirens, cur lapilli et plumbeae lamnae in aquam iniectae frigidiorem eam faciant, hanc ponit causam, quod aer lapidibus vel lamnis renitens ad refrigerandum plus virium habeat; *οὐ γὰρ ἐῶσιν αὐτὸν (τὸν ἀέρα), ὥσπερ τὰ χάλκεα καὶ τὰ κεράμεα τῶν ἀγγείων διεκπίπτειν, ἀλλὰ τῇ πυκνότητι στέγοντες ἀνακλῶσιν εἰς τὸ ὕδωρ ἀπ' αὐτῶν, ὥστε διόλου καὶ ἰσχυρὰν γενέσθαι τὴν περίψυξιν*. In his pleraque satis expedita sunt, si discesseris a vasorum aeneorum commemoratione, quae cum aer non magis eiusmodi vasa pervadat quam silices, suspecta videbatur et Reiskio et quem hic in fraudem perlexit Kaltwassero, infeliciter *χαλαρά* temptanti, pro quo, si recte id stare posset ante *κεράμεα*, potius *πολύκενα* vel *μανά* dicendum fuisse crediderim; non puto tamen quicquam mutandum esse. Plutarchus enim haud dubie respexit ad veterum de aeris natura sententiam, quam ipse his verbis expressit Symp. VIII, 3, 2 p. 721 c, *εὔφωνος δὲ καὶ λάλος ὁ χαλκὸς ἢ πολύκενος καὶ ὄγκον ἐλαφρὸς καὶ λεπτὸς, οὐ πολλοῖς συντεθλιμμένος ἐπαλλήλοις σώμασιν, ἀλλ' ἄφθονον ἔχων τὸ τῆς ἐπιεικοῦς καὶ ἀναφοῦς μεμιγμένον οὐσίας*.

Sed de aeneis vasis quoniam mentionem iniecimus, non alienum fuerit monere, aliorum vasorum ex cera factorum commemorationem apud Plutarchum, vel quicunque quaestionum naturalium auctor est, p. 913 c, adeo contra ineptam videri posse, ut primo adspectu vitiata quis credat verba *πολλοὶ δὲ καὶ κηρίνοις ἀγγείοις ἀναλαμβάνουσιν ἐκ τῆς θαλάττης ὕδωρ γλυκὺ διηθούμενον, ἀποκρινομένου τοῦ ἁλυκοῦ καὶ γεώδους*. Et tamen librorum lectionem tutam praestant haec Plini (si hoc harum quaestionum usum esse auctorem conicere licet) aperte tradentis XXXI, 6, 70: item demissae reticulis in mare concavae e cera pilae vel vasa inania opturata dulcem intra se conligunt umorem, unde in propatulo est, scriptorem

perverse meminisse Plini loci, cum miro plane errore quae sua sponte conligitur dulcis aqua in istis vasis, per ceram quasi ei percolata videretur esse aqua marina. Videntur autem navigantes hanc potissimum ob causam cerea vasa adhibuisse, quod ceram diutissime frigoris vim retinere usu experti erant, vel, ut magis hoc recentiorum physicorum accommodemus placitis, lentissime calorem propagare sibi informarant; inde effectum est, ut cereae pilae vapores e mari escendentes condensando guttatimque intra cava conligendo eximie usui esse crederentur. Quam mirificis autem anbagibus quantaque astutia veteres eo deducti fuerint, ut ceram potissimum ad has pilas conficiendas adhiberi posse in animum induxerint, haud cito quis decernat. Itaque in his quidem si causa ad me deferatur diiudicem, verissime scriptorem pro captu suo indicasse usum cereorum vasorum. Quod admonendum duxi, ut de Strabonis loco meam subiungerem sententiam libro III, 155=240, 5, ubi in Lusitanorum morum descriptione commemorantur vasa eadem cerea in verbis *κηρίνοις δὲ ἀγγείοις χρῶνται καθάπερ οἱ Κελτοί*, in quibus eatenus Meinekio aliisque adstipulamur, ut *κηρίνοις* nullo modo *ferri posse* credamus. Sed nec Kramero *ξύλινα* suadente Fridemanno scribendum esse concesserim, nec magis Meineki *χηλίνοις* i. e. *vasis viminibus plexis*, iam pridem occupatum a Toupio, video quo iure Straboni obtrudi potuerit. Mirum enim profecto, si in re tam simplice pro eo quod ad manus erat *πλεκτός*, vocabulo adeo solitario et fere inusitato, nec cognito nisi ex Polluce*) et fortasse Hesychio e *λέξει ποιητικῇ*, usurus fuisset geographus. Nam quamquam non is sum qui eiusmodi voces, vel quod uno in loco vel quod apud grammaticum solum legantur, indicta quasi causa ex toto recusandas existimem, quis unquam sibi persuadeat fortuitum esse, ut in tanta rei celebritate adiectivum *χήλινος* = *πλεκτός* nullum alium testem aut sponsorem habeat praeter Anacreontem apud Pollucem? Ut si quis vasa viminibus plexa exspectet aliquanto veri similius sit Straboni reddere *σπαρτίνοις ἀγγείοις χρῶνται*, quorum mentionem habes apud Pollucem X, 191. conl. Will-

*) Onomast. VII, 172 *χήλινον ἄγγος ἔχον πυθμένας ἀγγειοσελίνων, ὅταν εἴπῃ Ἀνακρέων, τὸ ἐκ σχοινίων πλέγμα δηλοῖ.*

komm iter per Hispaniam II p. 435 et quae afferentur a me in Addendis. Sed alia ni fallor suppetit medendi via minus lubrica et ab ipso Athenaeo praemonstrata. Qui cum IV p. 152 c in Gallorum supellectile describenda commemoret *κάνεα ξύλινα καὶ πλεκτά*, non prorsus abhorret a veri similitudine, Strabonem adcuratius materiae genus ex quo confecta potissimum fuerint Lusitanorum Celtorumque vasa indicasse, idque mihi repperisse visus sum coniciens *φηγίνοις δὲ ἀγγείοις χρῶνται*. Haud enim erravero si, ut in prisca Graecorum Romanorumque vetustate fagi virtus ad vasa cuiuscunque generis conficienda haud incognita fuit*), ita Germanis Gallis Celtis (cfr. I. Grimm Antiq. iur. germ. p. 506), quod laetior multo illic erat fagorum proventus, frequentiorem etiam ad vasorum fabricam adscribendum dicam huius ligni usum. Atque fagum (fagum silvaticam L.) in montuosis locis Hispaniae atque fortasse etiam Lusitaniae**) hodieque nasci demonstratum reperies apud recentiores itinerum conditores (veluti M. Willkomm l. l. II p. 197), etiamsi de Strabonis aetate nullum id confirmet veteris scriptoris testimonium.

Tempestivum videtur huic loco tres alios eiusdem auctoris inserere, de quibus aliter sentio atque visum est Meinekio viro clarissimo. Leve est quod moneo de loco libri I, 6=9, 22 in verbis *ἡμεῖς δὲ τὸν μὲν πλείω λόγον περὶ τοῦ ὠκεανοῦ καὶ τῶν πλημμυρίδων εἰς Ποσειδώνιον ἀναβαλλόμεθα καὶ Ἀθηνόδωρον, ἱκανῶς διακρατήσαντας τὸν περὶ τούτων λόγον*, ubi, quamquam in Meineki *διακριβώσαντας* (Plut. Symp. III, 8, 1 p. 656 c) vel *διασαφήσαντας* (Zosim. I p. 323 c *χρὴ γὰρ ἐπὶ τῶν πραγμάτων ὃ λέγω διασαφῆσαι*), nihil reprehendi posse crediderim, nisi quod non satis apte additum videri possit *ἱκανῶς*, si scribendum dixero *ἱκανῶς διερευνήσαν-*

---

*) His conferenda sunt praeter Plin. XVI, 38, 185: fagis pectines transversi in pulpa; apud antiquos inde et vasis honos. Manius Curius iuravit se ex praeda nihil attigisse praeter guttum faginum, quo sacrificaret, Theophrasti h. pl. III, 8, 4, quibus etiam accensendus *φηγίνεος κρητήρ* Macci 7, 5 Anth. Palat. VI, 33 et quem omnes norunt pueri nostri apud Ovidium *faginum alveum* et similia apud Tibullum.

**) Hoc me alicubi legisse certa memoria teneo; dubitanter tamen promendum erat, quoniam incassum quaesivi disertam huius arboris commemorationem apud Linkium in itinere per Lusitaniam Kilae 1801.

τας τὸν περὶ τούτων λόγον, fortasse adsentientes habebo, qui perpenderint haec similia apud Platonem Charmid. p. 166 c *κἂν ἐμαυτὸν διερευνῴην τί λέγω*, Soph. p. 260 e *λόγον πρῶτον διερευνητέον ὅ τί ποτ᾽ ἐστίν* et sequiorum Procopium b. g. III, 4 p. 294, 17 *οὐ διερευνώμενοι τῆς νίκης τὸν τρόπον*, IV, 6 p. 485, 17 *λόγον τὸν φυσικὸν ἐς τὸ ἀκριβὲς διερευνᾶσθαι βουλόμενος*, IV, 8 p. 490, 6 *διερευνώμενος ἀμήχανα ἔργα*, quibus concinunt S. Chrysost. hom. III ad pop. Antioch. p. 371, 14 *πάντα διερευνᾶσθαι καὶ σκοπεῖν ἀναγκαῖον μετ᾽ ἀκριβείας ἁπάσης*, Anna Comn. p. 260, 10 *δεινὸς διερευνήσασθαι τὴν δεινοτάτην περιπατητικήν* conl. p. 263, 21.

In lepida Hispanorum divitiarum subterranearum descriptione, ad quam affirmat Posidonium Rhodium adhibuisse, haec habes III 147 = 226, 2 *Ποσειδώνιος δὲ τὸ πλῆθος τῶν μετάλλων ἐπαινῶν καὶ τὴν ἀρετὴν οὐκ ἀπέχεται τῆς συνήθους ῥητορείας, ἀλλὰ συνενθουσιᾷ ταῖς ὑπερβολαῖς*, quibus deinde post epiphonema *οὐ γὰρ πλουσία μόνον ἀλλὰ καὶ ὑπόπλουτος ἦν (φησίν) ἡ χώρα καὶ παρ᾽ ἐκείνοις ὡς ἀληθῶς τὸν ὑποχθόνιον τόπον οὐχ ὁ Ἅιδης ἀλλ᾽ ὁ Πλούτων κατοικεῖ* haec subiciuntur *τοιαῦτα μὲν οὖν ἐν ὡραίῳ σχήματι εἴρηκε περὶ τούτων, ὡς ἂν ἐκ μετάλλου καὶ αὐτὸς πολλῷ χρώμενος τῷ λόγῳ*. Haec postrema non posse accipi de prolixo sermone, quo Posidonius in adumbrandis Hispanorum fodinis usus fuerit, facile adsentimur Meinekio, in eo etiam verissime disputanti, si in hanc sententiam explicentur verba, cur opus fuerit addi haec *ὡς ἂν ἐκ μετάλλου καὶ αὐτὸς πολλῷ χρώμενος τῷ λόγῳ*, prorsus in obscuro esse. Nihil enim mehercle possunt significare aliud, quam Posidonium nimiam suam loquacitatem sumpsisse a metalleutis, tanquam ab hominum genere inprimis garrulo, quod quam ineptum sit suo unusquisque sensu arbitretur. Neque ego magis quam Meinekius vir venerabilis, cum dulci iuventa aliquantisper rei metallicae operam navavi, metalleutas expertus sum homines adeo loquaces, ut vel alios quibuscum versarentur verborum tanquam flumine inundaverint; immo per totum illud iucundissimum tempus (ex quo praeter sanctissimam praeceptorum amicorumque memoriam per tot rerum varietates nihil fere mihi relicuum est hodie quam famosum istud succinctorium, quo noscitur fossor qui non cognoscitur ex

se) metalleutas tantum non ubique expertus sum homines *σιωπηλοτέρους τῶν Πυθαγόρᾳ τελεσθέντων.* Itaque adstipulamur Meinekio etiam in eo quod aliter Strabonem scripsisse intellexit. Nihilo tamen minus coniecturae eius *ὡς ἂν ἐκ μετάλλου καὶ αὐτὸς πολλῷ χρώμενος (τῷ) π λ ο ύ τ ῳ, quasi qui et ipse magnas ex fodinis conlegisset divitias,* diffidimus. Non satis enim apte opinor Posidonius grati tanquam animi significandi causa ad describendas Hispaniae fodinas, quippe idem inde locupletatus, conpulsus fuisse diceretur, nisi oratio revertitur ad ea quae Strabo breviter praemisit de *ῥητορείᾳ* eius vel orationis ista dulcedine, quam magnos etiam viros facile a vero abducere de eodem Posidonio pronuntiavit Seneca in epistul. mor. XIV, 2, 20. Atqui ad hanc Posidoni *ῥητορείαν* denuo revertisse Strabonem certissime ipsum illud *ὡραῖον σχῆμα* denotare videtur. Accedit quod recepta Meineki coniectura vix intellegitur quid opus fuerit articulo ante *πλούτῳ,* cancellis scilicet incluso a viro eruditissimo. Quodsi recte demonstratum est, in postremis verbis aliquid significari debuisse de Posidoni dicendi genere, ab hac certe parte non sollicitanda erat Strabonis oratio. Nihilo minus verba postulant emendationem. Enimvero lenissima medicina quod geographus scripsit restitui nobis videtur sic scribendo: *ὡς ἂν ἐκ μετάλλου καὶ αὐτὸς π λ ο ύ τ ῳ χ ρ ώ μ ε ν ο ς τ ο ῦ λ ό γ ο υ, quasi qui et ipse ex fodinis amplas hausisset orationis divitias ornamentorumque copias,* quod inprimis apte dictum reperietur de homine, cuius oratio in adumbrandis subterraneis Hispaniae divitiis adeo evolabat copioseque fluebat, ut rectissime eum dicere potueris *συνενθουσιᾶν ταῖς ὑπερβολαῖς,* quemadmodum de rebus grandioribus si quis loquitur ipsae res quasi verba rapere dicuntur. Lenis igitur subest lusus in divitiarum terrae et orationis commemoratione, ut plane eodem modo Cicero de Orat. I, 35, 161 lepide lusisse videatur in Crassi divitiis ac dicendi ubertate, cum dicit se in oratione Crassi *divitias* atque ornamenta eius ingenii per quaedam involucra atque integumenta perspexisse (cfr. Quinct. X, 1, 13), vel quod Claudianus de consulatu Fl. Malli Theodori praedicavit v. 19 sqq.

Iam nunc canities animi, iam dulce loquendi
Pondus, et attonitas sermo qui duceret aures;

Mox undare foro *victrix opulentia linguae*,
Tutarique reos.

De cetero si quis operae ducat, haud inepte conparabit S. Chrysostomi verba ad pop. Antioch. p. 332, 22 *ἐπεὶ οὖν καὶ ἡμεῖς χρυσίον ἕψομεν ἀπὸ τῶν μετάλλων ἀνελόμενοι τῶν ἀποστολικῶν, οὐκ εἰς χωνευτήριον ἐμβάλλοντες, ἀλλ' εἰς τὴν διάνοιαν τῆς ὑμετέρας ψυχῆς καθιέντες.* Ipsam quidem locutionem *πλοῦτος λόγου* praeivit Plato Euthyphr. p. 12 a, ubi habes *τρυφᾷς ὑπὸ πλούτου τῆς σοφίας*, quocum conparandum *σοφίας θησαυρός* in Phileb. p. 15 e*), quod in usum suum convertit simia Platonis Aristaenetus I, 1 de meretrice quae dicitur *τρυφῶσα ὑπὸ πλούτου τῆς εὐπρεπείας.* Nec plane diversi sunt generis haec apud Themist. p. 233 c *ἡμῖν — ἀναγκαῖον ἐγένετο φείσασθαι τοῦ πλήθους· οὔτε γὰρ ὁ παρὼν καιρὸς ἐνεδίδου, ταχυτέραν ἀπαιτῶν ἢ μακροτέραν τὴν εὐφημίαν*, si modo *πλῆθος* recte intellegitur de sermonis abundantia, ac non potius, quo magis propendere videtur Geel ad Dion. Chrys. p. 84, de auditorum frequentia, quamquam *λόγων σωρός* ad instar *ποταμὸς ῥημάτων* vel *νοῦ σταλαγμός* dixit etiam Liban. decl. IV. p. 139, 9 alii et *ὁρμαθὸς τῶν λόγων* Themist. or. XXIII, 288 b (quode ac similibus quibusdam, quibus addiderim *φρέαρ ἀποριῶν* apud Annam p. 261, 6 et *πέλαγος διηγημάτων* p. 264, 15, adnotavit Lobeck in Aglaoph. p. 643 [d]). Neque prorsus aliena Eunapi p. 105, ubi Oribasius narratur *μόνον ἑαυτὸν ἔχων ἀντὶ πάσης οὐσίας καὶ τὸν ἀπὸ τῶν ἀρετῶν πλοῦτον ἐπιδεικνύμενος*, quae eodem modo copulata leguntur apud S. Chrysostomum hom. in Ioseph. p. 117 a F. *πριάμενοι τὸν πλοῦτον τῶν ἀρετῶν*, producta ea iam a Boissonadio ad Athen. Schweigh. Tom. VIII p. 466 sq. et ad Aristaenet. I, 1 p. 238 sq. Eandem locutionem plurimi ut par erat deperierunt scriptores sacri, omnium maxime Theodoretus, e quo satis est enotari *πλοῦτος παρθενίας*, quod homini theologo audit *caelibatus*, et *πλοῦτος ἁγνείας* aliaque similia multa.

Tertius locus perquam memorabilis, de quo non inutiliter disputaturi nobis esse videmur, quoniam nondum ita pertracta-

---

*) Nimis grave videtur quod Cobet Mnem. 1860 p. 370 Platoni Soph. p. 222 a redditurus erat *πλούτου καὶ νεότητος ἑτέρους αὖ τινας ποταμούς*.

tus est ut nihil desideretur, legitur libr. XIV, 653 = 127, 23 *ἐκαλεῖτο δ' ἡ Ῥόδος πρότερον Ὀφιοῦσσα καὶ Σταδία, εἶτα Τελχινὶς ἀπὸ τῶν οἰκησάντων Τελχίνων τὴν νῆσον, οὓς οἱ μὲν βασκάνους φασὶ καὶ γόητας θείῳ καταρρέοντας τὸ τῆς Στυγὸς ὕδωρ ζῴων τε καὶ φυτῶν ὀλέθρου χάριν.* In his cum aperte vitiosum sit *θείῳ* — nam inscite redditur ab interprete *sulfure admixtam instillare stygis aquam*, — alii alia periclitati sunt. Sed parum placet Meineki *φθόνῳ*; vix enim intellegitur quid opus fuerit ut Telchines fascinandarum herbarum periti Stygiae aquae adspergine Rhodiensium terrae vastitatem *prae invidia* intulisse dicerentur; perinde enim est, utrum quem dicas *βασκαντικὴν ἔχειν ἕξιν* an *φθονητικήν*, neque quod alienos quis agros vexasse perhibetur veneficiis, id eum alia de causa fecisse credibile est, quam quod alienae felicitatis sit invidus. Atque hinc quidem Telchinibus perpetuum fere *τῶν φθονερῶν* adhaesit nomen. Prudentius ni fallor rem egit qui primus adcurate de Telchinibus disseruit Lobeckius in Aglaophamo p. 1190 sqq., tantam eruditionis copiam expromens, ut quod addatur nihil fere reliquerit. Is pro *θείῳ* substituit *λῄων*, cuius tamen loco Strabonem potius *ἀγρῶν* vel *καρπῶν* dicturum fuisse recte observasse credo Meinekium. Nam parum apte opinor in tanta animalium plantarumque pernicie solique vastitate solas segetes ac speciatim quidem Stygis aquarum adspergine perpopulatas dicturus fuisset. Quanto rectius Nonnus in eiusdem Telchinum facinoris commemoratione Dionys. XIV, 36 sqq., iam adlegatus ab eodem Lobeckio

καὶ φθονεροὶ Τελχῖνες — — —
χερσὶ βαρυζήλοισιν ἀρυόμενοι Στυγὸς ὕδωρ
ἄσπορον εὐκάρποιο Ῥόδου ποίησαν ἀλωήν,
ὕδασι Ταρταρίοισι περιρραίνοντες ἀρούρας.

Cuius loci meminisse velim lectores ubi de postremis Strabonis verbis nobis sermo erit. Similiterque simile Eumenidum facinus cecinit Aeschylus in Eum. v. 786 sq., ubi chorus dicitur

πέδον ἐπισύμενος
βροτοφθόρους κηλῖδας ἐν χώρᾳ βαλεῖν

conl. v. 802 sq. et explicatius etiam v. 811 (800 Herm.) ubi querelis Eumenidum inserta sunt verba haec

ἐν γᾷ τᾷδε, φεῦ,
ἰὸν ἰὸν ἀντιπεν-
θῆ μεθεῖσα καρδίας
σταλαγμὸν χθόνιον ἄφορον,

ne repetam quae Lobeckius l. l. e Suida s. *Θέλγει* aliisque scriptoribus protulit de hoc superstitionis genere, ex ultimis antiquitatis tenebris ad nostram usque aetatem propagato, quo alienae agrorum felicitati insidias strui posse et olim credebant et hodie credunt aniculae, qua de re inprimis videndus est I. Grimm myth. germ. p. 1026 et 1040. Sed quid tandem portentoso illo *θείῳ* faciendum est? Equidem nihil mutandum iudico praeter unam litteram; etenim pro *ΘΕΙΩΙ* ponendum autumo *ΝΕΙΩΝ*, qui genetivus suspensus est a participio utcunque scribitur. Hinc sententia omnibus partibus aptissima evadit haec, Telchinas Stygiae aquae adspergine excantasse novales Rhodiensium, quae si quis conparaverit cum inlustrissimo Hesiodi testimonio in Op. 464

νειὸς ἀλεξιάρη παίδων εὐκηλήτειρα,

is prorsus nobis adsentietur, nihil amplius esse in Strabonis loco quod dubitationi obnoxium sit. Hoc unum addam *νειός* intellegendum esse non tam de arvis quae *intermissa cultura* aliquod per tempus quieverint, quam de terra, quae veluti caesa vetere silva nunquam ante experta sit vomerem (cfr. Plin. h. n. XVII, 5, 39 talis fere est (terrae odor) in novalibus caesa vetere silva, et Choerobosci orthogr. ap. Cramerum Anecd. Oxon. II p. 241 s. v. *νειός· σημαίνει δὲ τὴν ἀνανεουμένην γῆν*), vel de pratis quae interdum frumenti causa exarantur, quia, ut auctor est Columella II, 19 (18), 3, talis ager, novam quasi vitam auspicatus, post longam desidiam laetiores adfert segetes, ut recte graece dici potuerit *εἰς νειὸν ἀρόσαι,* veluti apud Geop. III, 6, 7. In proximis cum in omnibus codicibus legatur *καταρρέοντας,* restitutum hoc est a Kramero pro recentiorum correctione *καταρραίνοντας* dubitanterque defensum a Meinekio in Vind. Strabon. p. 224. At, si verum fateri volumus, *καταρρέοντας* ab usu parum firmatur et altera lectio fere omnium, qui in hac narratiuncula legisse videntur Strabonis vestigia, consensu inprimis commendatur. Nam praeter Ioann. Tzetzem a Lobeckio in Aglaoph. p. 1198 adlegatum, qui in

capite περὶ τοῦ τίνες κυρίως οἱ παλαμναῖοι Chil. VII, 123 etiam Telchinum mentionem fecit his verbis

Τελχῖνες ἦσαν δή τινες τῶν φθονερῶν δαιμόνων

— — — — — — —

οὗτοι στυγὸς τῷ ὕδατι ῥαίνοντες γῆν ἠκάρπουν

et Eustath. p. 771, 55 ed. Rom., cuius menti non dubito quin idem Strabonis locus obscure obversatus fuerit, ipse Nonnus in loco, quem supra Lobeckio auctore adscripsi, constanter tenet verbum ῥαίνειν vel περιρραίνειν, ut etiam apud Zenobium Cent. V, 41 p. 137, qui idem Telchinum facinus, virus acerbitatis in agros effundentium, ita nobis ante oculos ponit οἶδα Σίμωνα καὶ Σίμων ἐμέ· Τελχίνων φύσει βασκάνων ὄντων· καὶ γὰρ τῷ τῆς στυγὸς ὕδατι τὴν γῆν καταρρέοντες ἀρνὸν ἐποίουν, rectissime ab eodem Lobeckio emendatum videatur καταρραίνοντες ἄκαρπον ἐποίουν, quamquam pro ἄκαρπον vellem scripsisset ἀργόν. Denique Meinekius in proximis pro ζῴων posuit ῥιζῶν, cuius mutationis causam ego video nullam. In propatulo est enim, nihil efficacius dici posse ad persuadendum quam perniciosa fuerit stygii liquoris adspergo, quam si adeo plenam inde procreatam fuisse geographus dicat perniciem, ut quicquid inde gustasset praeter homines, qui victi pulsique *tanta fructuum animaliumque qui inde vescerentur calamitate* in alienas regiones se receperunt, penitus interiret.

His ita perfectis ad Plutarchum redeo. Supra observatum est si quando locus apud Plutarchum vel nulla sententiae labe corruptelae arguatur vel quando vitiosa codicum scriptura satis probabiliter ab editoribus aliisque emendata videatur, vocalium tamen concursum tutissimum esse gliscentis adhuc vitii indicium. Cuius argumenti quo gravius esse pondus intellegatur, duobus, cum possim pluribus, exemplis demonstrabo. Ita recte vitium subesse perspexerunt editores in Symp. VI, 4, 1 p. 690 c, ubi Plutarchus disputaturus, cur aqua e puteo hausta, si vas quo continetur in ipso putei aëre per noctem suspendatur, frigidior fiat quam recens hausta, hoc dicit πᾶν ὕδωρ προθερμανθὲν ψύχεται μᾶλλον, ὥσπερ τὸ τοῖς βασιλεῦσι παρασκευαζόμενον, ὅταν ἑψηθῇ μέχρι ζέσεως, περισωρεύουσι τῷ ἀγγείῳ χιόνα πολλήν, καὶ γίνεται ψυχρότερον· ὥσπερ ἀμέλει καὶ τὰ ἡμέτερα σώματα λουσαμένων περιψύχεται μᾶλλον· ἡ γὰρ ὑπὸ τῆς θερμότητος ἄνεσις πο-

λύπορον τὸ σῶμα καὶ μανὸν ἀπειργασαμένη, πολὺν δέχεται τὸν ἔξωθεν ἀέρα καὶ βιαιοτέραν ποιεῖ τὴν μεταβολήν· ὅταν οὖν ὑποπλασθῇ ὑπὸ τῆς πηγῆς τὸ ὕδωρ ἐν τῷ ἀέρι προθερμανθὲν, περιψύχεται ταχέως. In his primum post *παρασκευαζόμενον* plenius incidendum est, tum e libro Vindob. nescio an non emendandum sit *ὅταν γὰρ ἑψηθῇ*, denique pro *ὑποπλασθῇ ὑπὸ τῆς πηγῆς* alii aliud, Meziriacus autem *ἀποσπασθῇ ἀπὸ τῆς πηγῆς* scribendum coniecit, quod, etsi ceterorum conatibus praeferendum est, tamen nec ipsum propter hiatum probari potest. Equidem non dubito, quin ita verba ad saniorem rationem revocari debeant *ὅταν οὖν ὑποσπασθὲν ἀπὸ τῆς πηγῆς* (Cod. Vind. *πληγῆς*) *τὸ ὕδωρ ἐν τῷ ἀέρι προθερμανθῇ, περιψύχεται ταχέως,* quibus conposuerim Plut. de def. orac. p. 416 e *εἰ τὸν ἀέρα τις ἀνέλοι καὶ ὑποσπάσειε τὸν μεταξὺ γῆς καὶ σελήνης, τὴν ἑνότητα διαλύσει.*

Alter locus, quamquam de hoc magna praeterea propter lacunas est dubitatio, legitur libro IV, 5, 3 p. 670 e. Ibi scribitur in codicibus quantum scio omnibus *οὐδ᾽ ** ὁ Λαμπρίας ὑπο ** ἀλλὰ λαγωοῦ ** ται κτλ.*, ad quae cum, ut aliae multae magnaeque sunt huius quaestionis lacunae, eadem manifesto lacunosa sint aliterque ab aliis temptata, Reiskius ingeniosissimas quidem sed propter hiatum aperte falsas coniecturas proposuit *οὐ δῆτα, ἔφη ὁ Λαμπρίας ὑπολαβών· ἀλλὰ τοῦ μὲν λαγωοῦ ἀπέχονται κτλ.* Equidem — nam de sententia verborum post priora nulla opinor potest esse dubitatio*) — una littera leniter mutata certiorem emendationem mihi videbar invenisse corrigendo *οὐκ ὀρθῶς λέγεις, εἶπεν Λαμπρίας ὑπολαβὼν, ἀλλὰ τοῦ μὲν λαγωοῦ φείδονται κτλ.*, quo et hiatum evito intolerabilem et illud restituo quod et totidem cum isto altero habet litteras et constans commendat scriptoris consuetudo (cfr. Symp. IV, 4, 4 p. 669 c V, 7, 3 p. 681 d etc.) In proximis quae ad lacunam sarciendam prolatae sunt suspitiones, mihi quidem non satis

---

*) Moneo hoc ob alias aliorum coniecturas, veluti Turneb. et Vulc. *οὐδ᾽ ἀλόγως ἔφη ὁ Λαμπρίας* vel Scaligeri (Epistul III, 232 p. 498) *οὐδ᾽ ἀπὸ τρόπου τόδ᾽ ἐστὶν ἔφη ὁ Λ.*, quae, cum aperte obloquatur Lamprias Callistrato, a nexu sententiarum prorsus abhorrent.

faciunt, quibus tamen in tam infinita coniectandi materia quid tutius suppleri possit adsequor nihil. Hoc unum in his tenebris dispicio rectissime pro codicum lectione *τὸν μένον* refictum videri *τὸν ὄνον*, cuius mentionem fieri debuisse admonemur prioribus *καὶ ἴσως ἔχει λόγον, ὡς δὴ τὸν ὄνον ἀναφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος τιμῶσιν**), *οὕτω καὶ τὴν ὗν σέβεσθαι σπόρου καὶ ἀρότου διδάσκαλον γενομένην*, ut quid sibi voluerit Benselerus de hiatu p. 490 sq. murem hic substituens asino, omnino non excogitem.**) Nimirum quod dixit se neque colorem leporis neque oculorum nitorem nec salsam naturam in asinis reperire potuisse, id quam temere iactatum esset, diligentior pervestigatio facile demonstrare poterat. Nam ut taceam oculos in utroque animali consimili modo conformatos, de asinino colore leporis, cuniculorum certe speciei, qui molliore sunt capillo, perinde constat atque de salacitate eius, unde *μύκλος* adeo Pythio vocabulo apud Hesychium cognominatus est (Lobeck Aglaoph. p. 849) itemque lasciviens eius genitale coitum stimulare creditum fuisse testis est Plinius h. n. XXVIII, 19, 261. Verum haec adcuratius nunc exagitare longum est, cum praesertim consectarium, licet ipsum leviter corruptum, *ὥστε μηδὲν οὕτω μηδὲ* (quod delendum videtur, nisi corrigi praestat *ὥστε μηδὲ οὕτω μηδὲν κτλ.*) *μικρὸν μεγάλῳ τὴν μορφὴν ὅμοιον γεγονέναι* dici non potuisse de mure et lepore exploratissimum sit. Neque quod Benselerus in proximis in loco pessime vitiato *ὁ γὰρ λαγὼς μεγέθους ἔοικε καὶ τάχους ἐν δεινοῖς εἶναι* (sic!) ludebat *ὁ γὰρ λαγωὸς· μεγέθους ἔοικε καὶ τάχους ἐν ἐκείνοις*

---

*) Cfr. Ioseph. c. Apion. II, 7, 9 et quae praeterea conlegit docta diligentia Wineri in Bibl. Real. Lex. et Movers Phoen. I, 297. In transcursu moneo de asinorum in ritibus mysticis usu conferri posse etiam Ammianum Marcell. XXX, 5 p. 228 Bip., qui locus fortasse fugit M. Hauptium in indice Lect. Univ. Frid. Guil. 1863, ubi de superstitione veterum, qua asinum rudentem ominosum credebant, adnotavit. De lepore Iudaeis interdicto Eustathius ad stylit. Thessalonic. p. 192, 41 (Tafel) praecipit *τήν τε ἀδιάφορον λαγνείαν φεύγειν, ἣ τις τῷ τοιούτῳ ζῴῳ βαθεῖα ἔγκειται*, quae unde provenerint, diiudicare nolo.

**) Perspexit hoc etiam R. Franke in Miscell. crit. ad Symp. Plut. p. 410, qui in proximis haud inepte legendum proponebat *διὰ τὴν πρὸς τὸν [ὄνον, τιμώ] μενον ὑπ' αὐτῶν μά[λι]στα θηρίων, ἐμφέρειαν.*

εἶναι quidquam probabilitatis habet; mirifica enim prorsus, ut equidem sentio, ratione illud *ἐν ἐκείνοις* positum est. Itaque intemptatis relictis prioribus vulneribus, in quibus iam plus satis sudatum est, quoniam de indubitabili atque omnibus satis factura correctione, nisi quando meliores libri reperti fuerint, desperandum videtur, hanc loci emendationem neque ineptam neque temerariam visum iri speraverim *ὁ γὰρ λαγὼς μεγέθους ἔοικε καὶ πάχους ἐνδεὴς ὄνος εἶναι.* Lepus enim, si discesseris de magnitudine et corpulentia, totus videtur esse asinus, cui conparare licebit Plinium h. n. XI, 37, 212: quaedam non pinguescunt, ut lepus, perdix, quibus conveniunt quae de sebo asinino docentur XXVIII, 187, 245, 250, 261 etc. Quam apte autem *πάχος* dicatur de asino, qui una cum ove omnium animalium denotatur *νωθέστατος* ab Aeliano d. n. a. VII, 19, non opus est pluribus exponere.

Missis his nugatoriis fortasse commentis, proximum contra locum certa propemodum ratione mihi supplere posse videor. In editionibus leguntur: *τὸ δὲ ὕειον κρέας οἱ ἄνδρες ἀφοσιοῦσθαι δοκοῦσιν, ὅτι μάλιστα οἱ**βάρβαροι τὰς ἐπιλευκίας καὶ λέπρας δυσχεραίνουσι καὶ τῇ προσβολῇ τὰ τοιαῦτα καταβόσκεσθαι*) πάθη τοὺς ἀνθρώπους οἴονται.* In his nihil adtenderunt editores ad lacunam quae in omnibus quantum scio codicibus relicta est inter *οἱ βάρβαροι.* Necesse est autem a Plutarcho certum quoddam barbarorum genus commemoratum esse, quod lepras *maxime* odisse constaret. Hanc ob causam ita locum redintegraverim *ὅτι μάλιστα οἱ Ἀσιανοὶ βάρβαροι τὰς ἐπιλευκίας καὶ λέπρας δυσχεραίνουσι,* quod quam vere coniectum sit ex appositis Aeliani verbis conligere licet d. n. a. X, 16 *ἀκούω δὲ καὶ Μανέθωνα*

---

*) Pselli locus in multif. doctr. q. 87 *διότι τὸ ἐν ἡμῖν θερμὸν πρῶτον μὲν καταβόσκεται τὸ ἐν σώματι περισσεύει* (sic!), in quibus pro *περισσεύει* refingendum suasi *περισσεῦον*, nunc ex Ps.-Cassio Bussemakeri in personati Arist. Probl. p. 332, 7 aliquanto plenior dari poterit in hunc modum: *διότι τὸ ἐν ἡμῖν θερμὸν πρῶτον μὲν καταβόσκεται τὸ ἐν τῷ σώματι ὑγρόν, ὅπερ ἀπὸ τῶν ὑπολειμμάτων τῆς ἐν τῷ σώματι τροφῆς περισσεύει κτλ.* Causa omissionis in aperto est. Ad verbum *καταβόσκεσθαι* praeterea conferendus est Clem. Alex. Protrept. p. 6, 20 *κακία μὲν γὰρ τὴν ἀνθρώπων ἐπιβόσκεται φθοράν*, atque simili ni fallor significatu aliquotiens legitur apud Byzantios.

τὸν Αἰγύπτιον, σοφίας εἰς ἄκρον ἐληλακότα ἄνδρα, εἰπεῖν ὅτι γάλακτος ὑείου ὁ γευσάμενος ἀλφῶν ὑποπίμπλαται καὶ λέπρας· μισοῦσι δὲ ἄρα οἱ Ἀσιανοὶ πάντες τάδε τὰ πάθη. In proxime sequentibus hodie consultius mihi facturus videor si acquiescam in codicum lectione, quam si denuo commendem, quod olim conieceram in Quaest. Plut. II p. 24* *ὅτι μάλισθ᾽ οἱ βάρβαροι τῆς ἐπιλευκίας καὶ λέπρας δυσχεραίνουσι προσβολήν*, in quibus praeter alia quae intacta relinquere debueram paulo citius certe a me elisum est $\bar{\alpha}$ in *μάλιστα οἱ.* Nimirum ante Lahmeyerum (de malign. Herodoti p. 86) neque abs me fuit animadversum, neque a Benselero, neque a Sinteni, qui primus saniores *τῶν φωνηέντων συγκρούσεως* apud Plutarchum scribebat leges, neque a quoquam alio, *adspirationem ad leviorem hiatum apud Plutarchum videri sufficere.* Etenim quam aliam causam dicemus esse, quod libri manuscripti tantum non ubique ante vocalem adspiratam *δέ* potissimum particulae plenam concesserint vocalem, veluti ut his utar catervatim: *δὲ ὁ, δὲ οἱ, δὲ ἡ, δὲ ὅταν, δὲ ὅτι, δὲ ὡς, δὲ οὕτως, δὲ ὥσπερ, δὲ ὑπό, δὲ ὑπέρ, δὲ ὅλως, δὲ ἡμῶν, δὲ ἱκανῶς, δὲ ἕκαστον, δὲ ἡδύν, δὲ ἁφή, δὲ ἅλας, δὲ ὑπῄει, δὲ ὅμοιον, δὲ ὕστερον, οὐδὲ ὁ, οὐδὲ ἡ, οὐδὲ ἱστόρηται, οὐδὲ αἱρετόν, οὐδὲ ὅλως, μηδὲ ἅψασθαι,* vel *ε* intactam reliquerint in his *οὔτε ἡμᾶς, οὔτε ὡς, μήτε ἡλικίᾳ, ὥστε ὁ, ὥστε οἷς, ὥστε ἧττον, ὥστε ἕν,* quod porro conposuerint *οὔτ᾽ αἰσθήσεως οὔτε ὁρμῆς* Symp. p. 683a, *οὔτ᾽ αἰτεῖν οὔτε ὅλως παρακαλεῖν* p. 708 b, *οὔτε ὕδατος οὔτ᾽ ἄλλου* p. 696 d, *οὔτ᾽ ἀλκαῖς οὔτε ὑπομοναῖς οὔτε ἡλικίᾳ* Anton. 43. et quae sunt similia plurima vel eiusdem aut certe propinqui generis exempla, cum constanti fere contra usu dederint: *δ᾽ ἐν, δ᾽ ἐξ, δ᾽ εἰς, δ᾽ οὐ, δ᾽ ἄν, δ᾽ ἀπό, δ᾽ ἀντί, δ᾽ ἄλλων, δ᾽ αὐτῶν, δ᾽ οὖν, δ᾽ οἴει, οὐδ᾽ ἀκρίτως, οὐδ᾽ ἐλευθέριον, μηδ᾽ ἰχθύσι, μηδ᾽ ἐν, τ᾽ αὖ, τ᾽ ὄντα, τ᾽ οὖν, οὔτ᾽ ἀφελόντα, ὥστ᾽ οὐκ* etc., vel quod $\bar{\alpha}$ eliserint in his *εἶτ᾽ ἐπί, εἶτ᾽ ἄρα, εἶτ᾽ ὀνειδιζόμενος, εἶτ᾽ αἰτίαν, ταῦτ᾽ εἰπόντος*, quamquam p. 657 a volgatur *ταῦτα εἰπόντος, ἀλλ᾽ ἀπό, ἀλλ᾽ ἄττα* etc., retinuerint in *εἶτα οἱ, εἶτα ὅταν, εἶτα ἧκε, ταῦτα ἱστοροῦντα, ἀλλὰ εἷλε* Demetr. 40, *ἄρα ἡμῖν* Mor. p. 744 a, *ἔπειτα ὁ* p. 742 c, *εἶτα ὑπειπών, ἀλλὰ εἷς, ἀλλὰ ἡ, ἀλλὰ ὁ, ἀλλὰ ἑτέραις* p. 718 a (conl. p. 686 b ubi contra regulam scribitur *ἀλλ᾽ ἕτερον οὐκ ἔλαττον*), *πάντα*

ὑπό, ἀλλὰ ἡμεῖς Symp. IX, 6 p. 741 d, ut legitur in lib. Vindob., μάλα ἱκανῶς, ἀλλὰ ὥσπερ, εἶτα οἱονεί, vel quod signum elisionis concesserint veluti in ὑπ᾽ Αἰγυπτίων, non concesserint in ὑπὸ ἡδονῆς Symp. p. 665 d, multo tamen, nescio librariorum an scriptoris culpa, exsuperantibus elisionis exemplis. Qui quidem mos adeo constans est, ut δέ nusquam vel paucissimis tantum in locis, qui continuo corrigendi videntur, ante adspirationem elidatur. Aliquotiens melior lectio e codicibus sumi poterit, veluti in Symp. I, 1, 1 p. 613 a, ubi quod editur ἐν οἷς δ᾽ ὁ νῦν καιρός quantocius e cod. Vind. corrigendum est δὲ ὁ. Quamquam, ut dicam quod sentio, in his rebus *minimis,* quas, ut recte in alia causa observavit Koechlyus meus (quem Germaniae nunc redditum gaudemus omnes), si non praetor, at editor certe curare debet, tenuis admodum est huius codicis auctoritas. Ubique enim in hoc libro formas inter se de sedibus decertare vides elisas et non elisas, itemque non semel, ut in plerisque aliis, ν ἐφελκυστικόν debito honore vacat, in aliis locis munere non fungitur suo. Eodem ac maiore fortasse iure in tanta eius relicua virtute ex cod. Palat. in vita Antoni c. 30 pro τὰ δ᾽ ἑσπέρια et cap. 31 pro ἔστεργε δ᾽ ὑπερφυῶς plena restituenda erit particulae forma. Nec dubitandum quin simili aequabilitatis lege scribi debeat δὲ ὁ Symp. III, 1, 2 p. 646 b in his ὑπολαβὼν δ᾽ ὁ Ἐράτων (cfr. p. 616 b γυμνάζεται δὲ ὁ τάττων p. 616 c, ἀτοπώτερος δὲ ὁ ποιῶν p. 617 c, διαῤῥήδην δὲ ὁ Πίνδαρος λέγει, p. 621 d περίπατος δὲ ὁ παρὰ θάλατταν, p. 623 d μάλιστα δὲ ὁ ἐνθουσιασμός, p. 653 c Ζώπυρος δὲ ὁ ἰατρός et id genus alia), δὲ ἱστόρηται Symp. III, 2, 1 p. 648 c in his ὑπὸ Θεοφράστου δ᾽ ἱστόρηται, cum alias diserte dederit οὐδὲ ἱστόρηται, οὐδὲ οἱ τὰ διαστήματα p. 714 c pro volg. οὐδ᾽ οἱ. Itemque in tanta usus constantia vel invitis codicibus restitutum vellem Symp. III, 7, 1 p. 655 e ἕκτῃ δὲ ἱσταμένου et IV, 4, 2 p. 668 b τί δὲ οἱ πολλοί et III, 5, 2 p. 652 c ὡς δὲ οὕτως conl. I, 8, 2 p. 625 f τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων, II, 5, 1 p. 639 d ἐδρᾶτο δὲ οὕτως. Similem ad analogiam emendo τὸν δὲ ὅτι in Symp. I, 2, 4 p. 617 d, ubi ita infertur oratio τὸν δὲ ὅτι μέσος, τὸν δ᾽ ὅτι παρ᾽ αὐτόν conl. III, 1, 2 p. 646 c σκόπει δὲ ὅτι, I, 3 p. 619 c δεύτερον δὲ ὅτι, I, 8, 3 p. 626 b

αἴτιον δὲ ὅτι. Eiusdem farinae est *οὐδ' ὡς* Symp. III, 2, 1 p. 648 e in his *οὐχ ὡς βοηθὸν ἐπὶ τὴν μέθην οὐδ' ὡς πολέμιον* et *οὐδ' ὥσπερ* VI, 7, 2 p. 693 a in his *οὐδ' ὥσπερ σιδήρου στόμωμα* et *οὐδ' ὑποκονίεται* in I, 1, 4 p. 614 c, ubi si conparaveris priora et haec II, 9 p. 642 e *τὰ δὲ ὑπὸ θηρίων,* I, 3 p. 619 d *ὁ δὲ ὑπὲρ αὐτόν* conl. II, 2 p. 635 c, *ἔτι δὲ ὥσπερ* II, 3, 2 p. 636 b*), *τὸ δὲ ὡς οὐκ ἀναγκαῖον* II, 1, 4 p. 631 d et similia consulto a me omissa, haud cunctanter vocalem librariorum culpa elapsam e longa fuga mecum revocabis. Neque credibile est Plutarchi esse ni fallor solitarium in Symp. I, 6, 1 p. 623 e *ἔστι δ' ὅτι,* cum praesertim mox III, 10, 3 p. 658 c scripturus esset *νυνὶ δὲ ὅτι.* Ut igitur his omnibus in conspectu positis graviorem Plutarcho vindico legem hanc, ut in scriptis severiorem expertis limam rarissime vel nunquam epsilon ante vocalem quae adspiratur ab eo elisum esse credam, unde probabili argumentatione concludimus, quando post *ε* habemus vocalis adspirationem, legitimam hanc esse hiatus excusationem, ita aliquanto incertius, ne dicam ambiguum prorsus erit iudicium de aliarum vocalium elisione. Nam quamquam magna est suspitio, ne qui primi Plutarchi scripta transscripserunt, multa etiam in his temere intulerint, cum in tanta praesertim corruptelae facilitate utrum hanc an aliam in scribendo sequerentur viam, nihil interesse crederent, in hoc tamen genere adeo huc illuc salientes videmus libros, ut quid Plutarcho ipsi sit concedendum, quid non, varie disseri possit. Ut nullo modo faciam cum Benselero, qui peremptorio quodam edicto omnes eiusmodi hiatus quoquo modo exterminandos sibi persuaserit. Quemadmodum igitur ante lenem spiritum magna ubique est fluctuatio, ut *ἀλλ' ἐῶσι, ταῦτ' ἐάσαντες, ἀλλὰ ἐφίστησι, ταῦτα ἐάσας, εἶτα ἐμμένοντα, εἶτα ἐπειδή, εἶτ' ἐξαίφνης εἶτ' ἐπί, ταῦτ' εἰπόντος* et *ταῦτα εἰπόντος, ἵνα οὖν* et *ἵν' οὖν* ultro citroque sint commutata vel scriptoris arbitrio vel librariorum temeritate, ut perdifficile sit in suum cuique tribuendo aequitatem servare, ita, ne quando sequitur quidem

---

*) Unde adparet eandem medicinam adhibendam esse Symp. VII, 8, 3 p. 712 a, ubi editur *ἔτι δ' ὥσπερ.*

post α vocalis adspirata, certam dispicere poteris regulam, immo in quibusdam cum ἀλλά et ἵνα conpositis formulis, veluti in ἀλλ' ὡς, ἀλλ' ὥσπερ, ἀλλ' ὅτι, ἀλλ' ἕνεκα, ἀλλ' ὑπό, ἀλλ' ὅρα, ἵν' ὥσπερ centum aliis, casu fortasse magis quam consilio aliquanto frequentior occurrit elisio. Neque eiusmodi inparilitas per se plane abhorret ab recentiorum scriptorum licentia vel dedita opera vocabulorum formas miscentium (Lobeck Parerga ad Phryn. p. 496). Sed quamquam non nescius sum, uno alterove exemplo tot tantisque contrariis extantibus tam ancipitem ac salebrosam rem confici non posse, praesertim cum quid scribae in hoc genere de suo largiti sint non magis definiri possit, perquam mirum tamen est in aliquot Symposiacorum locis, ut in his libris nunc me contineam, vocales concurrentes non posse exterminari, nisi violentissimis si modo in promptu sunt adhibitis remediis, ut nesciam an praesidia defensionis in adspiratione vocalium subsequentium, quando vel brevis praeponatur brevi vel brevis longae, constituere praestet, quam loci medicinam in coniecturarum aleam committere idque sine ullo saepe sententiae emolumento. Ita, quod in antecessum monuerim, non videtur proscribi posse V, 7, 3 p. 681 e *οὐκ οἶσθα, ἔφην, ὅτι πάσχουσα ἡ ψυχὴ τὸ σῶμα διατίθησιν,* in quibus Benselerus miro acumine articulum deleri posse opinabatur. Nec obtemperandum putaverim eidem viri docto VII, 6, 3 p. 709 a in verbis *εἰ δὲ μή, τῶν ἰδίων φίλων οὓς ἂν καὶ ἤθελεν αὐτὸς ἑλέσθαι ὁ δειπνίζων,* ubi si transponitur in hunc modum *αὐτὸς ὁ δειπνίζων ἑλέσθαι* foedior multo ni fallor existit hiatus inter *ἑλέσθαι* et quod sequitur *ἐπιεικής.* Eadem venia fortasse condonari posset hiatus V, 10, 4 p. 685 d in his *σιωπήσαντος δέ μου, Φιλῖνος ὑπολαβών, τὸ δὲ γόνιμον οὐ δοκεῖ σοι, ἔφη, θεῖον εἶναι, εἴπερ ἄρχει ὁ θεὸς πάντων,* nisi sententia locum vitii argueret. Verum nec Wyttenbachi *εἴπερ ἀρχὴ ὁ θεός,* nec Reiski *εἴπερ ἄρχει, καθάπερ ὁ θεὸς, πάντων,* nec denique quod Faehsius, qui Plutarchum misere torquere solet, invenit *εἴπερ ἄρχει θεὸς ὥς,* cui quod miror Benselerus adsensus est, ferri possunt. In propatulo est *ὁ θεός* nihil esse nisi interpretamentum monachi christiani, cui obscurius vel argutius dictum videbatur quod invenit in archetypo. Itaque nemo dubitabit locum ita mecum re-

fingere: *τὸ δὲ γόνιμον οὐ δοκεῖ σοι, ἔφη, θεῖον εἶναι, εἴπερ ἄρχει πάντων.*

Eadem inportuna sciolorum sollertia turpissimum hiatum, qui nullam admittat excusationem, Plutarcho adfinxit VII, 3, 1 p. 701 e in verbis *τίς γάρ, ἔφη, οὐκ οἶδεν, ὅτι τοῦ μὲν οἴνου τὸ μέσον γίνεται βέλτιστον, τοῦ δ' ἐλαίου τὸ ἀνωτάτω, τὸ δὲ κατωτάτω τοῦ μέλιτος; ὁ δ' ἐᾶν ἐκέλευε τὸν ἐν μέσῳ οἶνον κτλ.* In his mirari licet, quid Benselerum inpulerit, ut exspectari statueret *ὁ δ' ἐᾶν ἐκέλευεν ἐν μέσῳ τὸν οἶνον*, *iussit nos vinum in medio dolio sinere*, quasi aliud quid significare posset volgata. Ut in aliis locis ad *ἄκρατον πίνειν* etc. explicandi causa scribae addiderunt *οἶνον*, quode supra admonitum est, ita hic *τὸν ἐν μέσῳ* eodem vocabulo vitiarunt; itaque *οἶνον* mihi circumscribendum videtur.

Sed haec extra causam dicta sunt. Iam reliquos in his libris locos, in quibus vocalium concursui propter adspirationem proximae litterae venia danda videatur, enotabo.

Ac primum paulo timidius accedo ad locum Symp. III, 1, 3 p. 647 a, quippe inexcusabilis hiatus in vicem novum sed excusabilem, ut opinor, positurus. Leguntur ibi haec *ὁ δὲ Διόνυσος ἐνομίσθη — καὶ στεφανοῦσθαι διδάξαι τοὺς βακχεύοντας, ὡς ἧττον ὑπὸ τοῦ οἴνου ἀνιῷντο, τοῦ κιττοῦ κατασβεννύντος τὴν μέθην τῇ ψυχρότητι*, quibus expeditissimum remedium admoveri potest, ut transponantur in hunc modum *ὡς ἧττον ἀνιῷντο ὑπὸ τοῦ οἴνου*, idemque video placuisse Benselero, praeterquam quod incautius opinor sed excusabili circumductus errore scripsit *ἀνιῷνθ' ὑπό*.

Plus difficultatis habet alius locus III, 1, 1 p. 645 f—646 a *καθάπερ οἱ μὲν ὑπὸ τῶν κεκλημένων ἀγόμενοι φίλων ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἔθει φιλανθρώπῳ τυγχάνουσι τῶν αὐτῶν — εἰ δέ τις ἀφ' αὑτοῦ βαδίζοι* (in Parisina vit. typogr. *βαδίζει*) *τούτῳ δεῖ τὴν θύραν κεκλῇσθαι, οὕτως αἱ μὲν περὶ τὴν ἐδωδὴν καὶ πόσιν ἡδοναὶ κεκλημέναι ὑπὸ τῆς φύσεως ταῖς ὀρέξεσιν ἑπόμεναι τόπον ἔχουσι, ταῖς δ' ἄλλαις ἀκλήτοις καὶ σὺν οὐδενὶ λόγῳ φιληδονίας ἀπήλλακται.* In his post ea, quae supra monita sunt, nemo amplius de hiatu inter *κεκλημέναι ὑπό* laborabit. In proximis Plutarcho fortasse non ingratum fecerim, si locum aperte mutilum ita corrigam *ταῖς δ' ἄλλαις ἀκλήτοις καὶ σὺν οὐδενὶ λόγῳ* [*παρούσαις*]

(vel similis potestatis vocabulum) *φιληδονίαις ἀπηλλάχθαι λέγεται*, cui coniecturae, quamquam plerisque audaciorem visum iri suspicor, nescio an haec accedat commendatio, quod non semel in his libris duo quae erant in archetypo vocabula, librariorum culpa in unum confluxerint in eiusmodi praesertim loco, qui similitudine vocum scribentium oculos deludebat. Cuius rei insigne extat exemplum VI, 2, 1 p. 687 c, ubi omnes codices vitiose praestant *ἀλλὰ μόνον οἱ πόροι παρασχόντες τι τῷ μετασχηματίζεσθαι*, ubi non dubito, quin recte correctum sit *ἀλλὰ μόνον οἱ πόροι παρέσχον πάσχοντές τι κτλ.* Ceterum in eandem prorsus sententiam, sed argute magis et oratorie locutus est Plutarchus Symp. VII, 8, 4 p. 713 c *ὡς γὰρ ἡδονὴν ἐν οἴνῳ καὶ ὄψῳ τῇ χρείᾳ τῆς τροφῆς συνεισιοῦσαν οὐδεὶς ἀπωθεῖται, τὴν δ' ἐπὶ τοῖς μύροις οὐκ ἀναγκαίαν καὶ περίεργον οὖσαν ὁ Σωκράτης ἐπὶ κόρρης ῥαπίζων ἐξέβαλεν.* In his igitur si concesseris hiatum inter *κεκλημέναι ὑπό*, concedendum etiam est eandem veniam valere III, 9, 1 p. 657 d *ἡ δὲ δυεῖν (συμφωνία) πρὸς τρία μουσικωτάτη, πᾶσα ὑπνοφόρος καὶ λαθικηδής.* Nihil enim in loci sententia invenio quod dubitationi obnoxium esse possit, ut *πᾶσα* immerito Reiskio suspitionem movisse videatur.

Item aegre mihi persuadeo a librariis titubatum esse VI, 7, 2 p. 692 f in verbis *ὥσπερ οὖν ὁ σοφὸς Ἀνάχαρσις ἄλλ' ἄττα τῶν Ἑλλήνων μεμφόμενος ἐπῄνει τὴν ἀνθρακιάν, ὅτι τὸν καπνὸν ἔξω καταλιπόντες οἴκαδε πῦρ κομίζουσιν· οὕτως ἡμᾶς ἐφ' ἑτέροις ἂν ψέγοιτε μᾶλλον οἱ σοφοὶ ὑμεῖς· εἰ δέ κτλ.*, in quibus Benselerus, qui omnia mavult ad perpendiculum canonum suorum directa, deleto *ὑμεῖς* vocativum *ὦ σοφοί* nullo cum emolumento invehendum suasit, vereor ne parum prudenter; certe tutius multo transpositionis machinae movendae erant, ut scriberetur *ὑμεῖς οἱ σοφοί* (Cobet Mnem. 1860 p. 142). Verum ne sic quidem locus satis tutus videbitur, nisi quis pervicerit, *pausam*, in qua mirifice se iactat Voemelius, sat magnam fuisse, ut Plutarchus inpune sibi permisisset hiatum. Itaque de hoc loco guttam boni consilii non habeo, nisi ut adspirationi condonandum suadeam quem praestant libri hiatum. Eadem — defugimus enim in his *pausarum* artificia, quae nuper haud mediocri horum studiorum calamitate pullularunt — adplicari poterit

excusatio loco p. 714 c *οἱ δὲ πάμπαν ἀρχαῖοι ὡς οὐδέ κτλ.*; nec dubitandum videtur quin II, 6, 3 p. 641 a in verbis *ὥσπερ γὰρ οἱ πολυσαρκίᾳ κεχρημένοι καὶ ὄγκῳ, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἄτεκνοι* aliquanto probabilior sit coniectura, Plutarchum adspirationis venia usum dedisse *οἱ πολυσαρκίᾳ καὶ ὄγκῳ κεχρημένοι, ὡς κτλ.*, quam incongruum alterum *καί* ante *ὡς* addidisse, id quod miror Benselero placuisse.

Durior multo in hoc genere est hiatus et vix ferendus, quando vocalis longa excipitur brevi, in loco ad ordiendum auspicatissimo VIII, 4, 4, p. 724 b de Apolline *ἐπεὶ καὶ φίλαθλος ἄλλως καὶ φιλόνεικος ἡμῖν ὁ θεὸς, αὐτὸς ἐν κιθαρίσει καὶ ᾠδῇ καὶ βολαῖς δίσκων, ὡς δ' ἔνιοί φασι, καὶ πυγμῇ ἁμιλλώμενος*, in quibus, si scribendum proposuero *καὶ πυγμὴν ἁμιλλώμενος* conl. Plut. Mor. p. 189 e *πυγμὴν καὶ παγκράτιον ἀγωνίζεσθαι*, ecquis non probet?

In transcursu moneo non recte additum videri eodem inciso verbum *δεῖν* in verbis *καὶ ὁ Πραξιτέλης ταῦτα εἶπεν, ἄδηλα· καὶ τοῦ Θησέως αὐτοῦ πυνθάνεσθαι [δεῖν] φήσουσιν ᾧτινι λόγῳ φοίνικος, οὐδ' ἐλαίας κλάδον ἀπέσπασεν ἀγωνοθετῶν*, si quis recordatur eorum quae Lobeckius de omissione verbi *δεῖν* ex multiplicis lectionis copiis libavit in Parergis ad Phryn. p. 753. Hinc etiam idem verbum a Plutarcho cogitatione conprehensum non litteris expressum suspicor in loco quem non satis caute suspectavit R. Franke meus in Miscell. criticis ad Plut. Symp. p. 418 VII, 2 3 p. 701 a *ἐκείνων δ' οὐκ ἄν τινα τῆς αἰτίας ὡς ἄληπτον προέσθαι τὴν ζήτησιν (ᾤετο)*, ubi quod pro *οὐκ ἄν τινα* scripsit *οὐ δεῖν τινα* vereor ne non recte repositum sit. Cfr. Heindorf ad Plat. Protag. p. 595, quem adlegavit Baehr ad Plut. Philopoem. p. 16.

Minus suspitionis habet alius locus VII, 10, 2 p. 716 a, *ἀλλ' ὥσπερ τὰ κουρεῖα Θεόφραστος εἰώθει καλεῖν ἄοινα συμπόσια διὰ τὴν λαλίαν* (haec tria verba e cod. Vind. adsumenda puto), *οὕτως ἄοινος ἀεὶ μέθη καὶ σκυθρωπὴ ταῖς τῶν ἀπαιδεύτων ἐνοικεῖ ψυχαῖς, ἐπιταραττομένη ὑπ' ὀργῆς τινος ἢ δυσμενείας κτλ.* In his vel prima fronte adparet *ebrietatem hominum ineruditorum vini expertem* rationi parum convenienter dici perturbari ira aut malevolentia; immo significandum erat ebrietatem istam *ἄοινον*, quam nostratium quispiam dixerit *moralem*, cadere in animos ineruditorum,

quando irae obnoxii sint. Itaque gravissima huius quidem hiatus insolentia vel propter sententiae labem removenda erat idque commodissime fecit Benselerus scribendo *ἐπιταραττομένοις*.

Item sine dubio damnandus esset hiatus VIII, 3, 5 p. 722 d *ὑπολαβὼν δὲ Θράσυλλος ὁ Ἀμμωνίου υἱός*, nisi conpertum haberemus non reformidasse Plutarchum hiatum in nominibus propriis, ut in his *τοῦ Τελεμάχου ἐπιφανέντος* (p. 704 a) et *Καλλιστράτου εἰπόντος* (p. 705 b) et *πρὸς ταῦτα τῷ Ἀρίστωνι ἀντεῖπε μὲν οὐδείς* (p. 657 d) et quae sunt similia multa, quamquam alias *η* et *ου* hiatum creant turpissimum, qui quidem damnatione nusquam videatur eximi posse. Sed id alius erit tractationis locus. Nunc unum adicio hoc, multo tutiorem videri vocalium concursum, quando, ut supra monuimus p. 32, ad aliorum scriptorum, hiatus haud inpatientium, respicitur dicteria. Veluti, ut his utar, in pervolgato regis Aethiopum macrobiorum dicto p. 646 b, quod delibavit ex Herodoto III, 22, nulla profecto erat causa cur refugeret Plutarchus hiatum cum scripturus esset *δολερὰ εἵματα καὶ χρίσματα*, eademque licentia usus videtur in iis quae produxit p. 692 f ex ignoto versificatore (*ὁ οἶνος*) *ἐλαφρὸς καὶ ἄνευ ὀργῆς ἀναμίγνυται ἡμῖν*, quae versus heroici clausulam praebent. Eadem fortasse excusatio praetexi poterit Eveni scitamento p. 697 d *τὸ πῦρ ἥδιστον εἶναι ἡδυσμάτων*, quamquam retroacto ordine scribi poterat *ἥδιστον ἡδυσμάτων εἶναι*. Illud autem quod priore loco iuxta posuit *ἄνευ ὀργῆς* nemo gravabitur, qui meminerit *ἄνευ* perinde atque ceterarum praepositionum, veluti *πρό*, legitimum esse apud Plutarchum hiatum, quae licentia perduravit ad Prodromum usque ceterosque Byzantiorum poetas et Eustathium (quode adnotavit Hercherus ad Erotic. II p. LVI). Quo in genere nihil est memoriae praesentius quam *ἄνευ ὕδατος* p. 664 f et *πρὸ ἡλικίας* p. 652 f et *πρὸ ὁπλιτῶν*, quod merito me restituisse credebam Plutarcho p. 733 f, iniuria vituperatum ob hiatum temere invectum a Schnitzero meo in Ephemerid. Heidelb. 1862 p. 427 (cfr. Sintenis de hiatu p. 328), quamquam in his vel propter adspirationem vocalium succedentium hiatus non officit.

Eadem sine dubio esset ratio ac facillima excusatio loci II, 10, 2 p. 644 c *ἀλλὰ κἂν ἐρωμένην τις ἢ ψάλτριαν ἥκει*

(scr. ἥκῃ) κομίζων κοινὰ ταῦτα (cod. Vind. addit τὰ) φίλων, ἵνα τὰ πάντα [ὁμοῦ] χρήματα γίνηται κατὰ τὸν Ἀναξαγόραν, nisi ὁμοῦ ab Hutteno demum ad aliorum scriptorum fidem ex coniectura nihil discrepantibus libris additum, gravissimum faceret indicium aliud quid hic delitescere, cum praesertim post πάντα qui interierit ὁμοῦ neque aliis neque mihi exputare contigerit. Singulare etiam hoc, quod qui Anaxagorae scitamentum triti instar proverbii usurpant, non tantum Plutarchus ipse (cfr. p. 679 a), verum etiam Plato in Gorg. p. 465 d, in Phaedone p. 72 c et quos Zellerus citavit in hist. phil. gr. I p. 676 n. 2, veluti Aristot. phys. I, 4 p. 187 a 26, Metaphys. IV, 4 p. 1007 b 25, X, 6 p. 1056 b 28, XII, 2 p. 1069 b 20, aliique quos nominant Schaubach Anaxag. fragm. p. 65 sqq. Schorn Anaxag. et Diogen. Apollon. fragm. p. 14 sq. Schwegler ad Arist. metaph. XII, 2, quibus ego addiderim Aristid. II p. 372, 5 Dind. = p. 287, 4 Iebb, tantum non ubique ita hanc locutionem inferunt, ut ὁμοῦ quippe graviori priorem adsignent locum, constanti fere usu quasi sancitum, qui dominari solet in quotidiano dicteriorum usu, nec facile variatur nisi aliqua ratione dissuadente (Lobeck Paralip. p. 55).*) Ita etiam placuit S. Chrysost. p. 172, 22 ὁμοῦ πάντα φύρειν καὶ συγχεῖν, cuius loco subtilius etiam scripsit Procopius h. a. p. 107, 20 ξυγχεῖν τε καὶ ἀναθολοῦν ἐπεφύκει πάντα. Accedit hoc

*) Ita, si haec conponere licet, apud Plutarchum definitum ordinem servari videmus in ἄλλοτε ἄλλως Lyc. 13 Sertor. 1 et quos citavit Lobeck l. l. p. 56, quibus addam Mor. p. 947 c Symp. p. 639 d. Semel quantum scio inverso ordine legitur in Symp. p. 644 d ἄλλως ἄλλοτε συμφερόμενος, quod librariorum incuria elapsum esse statuerim, cum praesertim idem ordo obtinuerit in ἄλλοτε ἄλλος cfr. Mor. p. 1045 c. et p. 95 b etc.; quibus exemplis adducor ut idem ponendum suspicer in Symp. p. 733 d. In ceteris parecheseos generibus Plutarchus perfectam aequabilitatis normam non servavit, ut, cum fere par sit exemplorum numerus, non statutum habeas, utri conlocationi causa sit adiudicanda. Immo inaequalitas haec licet facillime removeri possit, tamen nisi gravior causa subsit, sustinenda erit. Ac videtur sane quo longius delaberis de pristinae graecitatis auctoribus, tanto plus de severitate illa remittendum esse, ut ab eis qui traditas lectiones in hoc verborum conlocationis genere apud sequiores convellere non ausi sint, mollius consultum videatur, quam ab his qui parilitatis causa omnia ad perpendiculum severiorum attice scribentium legum exigere maluerint.

gravissimum, quod cum in proximis praefracte neget aliqua rerum proprietate gravissimarum tolli communionem, consectarium est amasiam s. psaltriam non potuisse dici in communem usum amicorum ad cenam adhibitam fuisse, immo in contrariam haec partem efferri oportebat. Quod cum recte iamdudum intellegeret Reiskius, eximius homo, Plutarchum dedisse existimabat *οὐ κοινὰ ταῦτα φίλων*. Sed inportune lepidum mihi hoc videtur et alia potius temptanda medicina, qua planior verborum constructio et sententia restituatur. Verbis enim leniter mutatis Plutarchum ita scripsisse suspicor *ἀλλ' οὐδ' ἂν ἐρωμένην τις ἢ ψάλτριαν ἥκῃ κομίζων, κοινὰ ταῦτα φίλων, ἵνα τὸ ὁμοῦ πάντα χρήματα γίνηται κατὰ τὸν Ἀναξαγόραν* h. e. *sed ne tum quidem quando quis amasiam vel psaltriam in cenam adduxerit, haec communia sunt amicorum, ut usu veniat illud Anaxagorae omnes res unum fieri.* Librariis articulus *τό* fraudem fecit, quem cum concoquere non possent, depravarunt in *τά*, ac multo opinor facilior *ὁμοῦ* adverbii post *τό* erat omissio.*)

Minus lubrica, ut ad institutum sermonem revertar, suppetit medendi via, quippe aliorum locorum conparatione praemonstrata, veluti in hoc III 5, 2 p. 652 b *ταῦτα, εἶπεν***) *ὁ Φλῶρος, ἄντικρυς εἰς τὸν Πύρρωνα διὰ τοῦ Πρωταγόρου φέρει ἡμᾶς.* In his evidentissimum est *ἡμᾶς* deberi scribis, in hoc genere interpolationis ultra modum luxuriatis. Eodemque modo Plutarcho opitulandum in eiusdem quaestionis loco p. 652 d *οἱ δὲ πίνοντες πολὺν ἄκρατον ἀμβλύτεροι πρὸς τὰς συνουσίας εἰσί, καὶ σπείρουσιν οὐθὲν εἰς γένεσιν ἰσχυρὸν*

---

*) Similiter titubarunt librarii apud Nemesium p. 340 M., ubi in cod. Dresd. 1 in verbis *πάντα δὲ ἦν ἀληθῶς ὁμοῦ χρήματα* duo postrema a manu recenti inserta sunt.

**) Utrum rectius scribatur *ταῦτ' εἶπεν* an *ταῦτα εἶπεν* et id genus alia, prout nunc est res, plane inconpertum est apud Plutarchum. Quamquam in eam magis inclino sententiam ut vocales, quae pronuntiando elidebantur, in archetypo Plutarchi litteris saepius expressas fuisse existimem, quam omissas. Videntur autem Graeci ipsi in hoc genere nihil habuisse fixum et definitum, sed ad suum quemque arbitrium cum summa licentia modo hoc modo illud praeoptasse. Quod monendum duxi Hirschigi causa, quem nimium fuisse in hiatus terminis vel coercendis vel prolatandis nunc quidem constare puto (cfr. Buechsenschuetz in Philol. XVIII, 2 p. 281).

οὐδὲ κεκρατημένον, ἀλλ' ἐξίτηλοι καὶ ἀτελεῖς εἰσιν αἱ πρὸς τὰς γυναῖκας ὁμιλίαι αὐτῶν, in quibus nulla erat pronominis *αὐτῶν* addendi necessitas.

Eadem saepe scribarum licentia grassata est in addendo verbo substantivo, indeprehensa fortasse nobis, nisi hiatus fraudem clamaret. Cuius rei unum nunc addere lubet exemplum ex libro VII, 8, 4 p. 713 d *οὐ γὰρ μόνον ὅσοι τὴν σωτηρίαν οἴκοι καὶ παρ' αὐτῶν ἔχοντες ἄλλην θέλουσιν εἰσαγώγιμον λαβεῖν, ὡς Εὐριπίδης εἶπεν, ἀβέλτεροί εἰσιν, ἀλλὰ καὶ ὅσοι κτλ.*, in quibus ut hiatus devitetur, paulo tutius videtur delere *εἰσιν*, quam ut transponatur ante *ἀβέλτεροι*, id quod Benselero placuisse video.

In aliis locis hiatus indices existunt conclamatae librariorum hallucinationis in praepositionibus male permutatis, qua in re quantopere lasciverint operae pretium est cognoscere. Ita Symp. VII Praef. p. 697 d *καὶ τὸν ἅλα θεῖον Ὅμηρος, οἱ δὲ πολλοὶ χάριτας καλοῦσιν, ὅτι ἐπὶ τὰ πλεῖστα μιγνύμενος κτλ.* noli dubitare quin a Plutarcho sit *ὅτι πρὸς τὰ πλεῖστα μιγνύμενος,* ut scripsit in Symp. p. 733 a *τὰ στοιχεῖα μιγνύμενα πρὸς ἄλληλα* et Cat. mai. 4 p. 338 c *πρὸς πολλὰ μιγνυμένης.* Itemque verba p. 701 d *πνεύματος ψυχροῦ πεσόντος ἢ ὕδατος*, quo loco Wyttenbachius dederat *ἐπιπεσόντος*, vereor ne in hunc modum scribi debeant: *ψυχροῦ προσπεσόντος* Hinc facillime iudicari potest, quo iure Benselerus VIII, 8, 2 p. 729 c Plutarcho reddiderit *οὐ δεῖ δὲ θαυμάζειν, εἰ τὰ ζῷα διὰ τὴν θάλατταν ἀλλότρια καὶ οὐκ ἐπιτήδεια καταμίγνυσθαι νομίζουσιν αὐτῶν εἰς αἷμα καὶ πνεῦμα, οἵ γε κτλ.*, quorum postrema antea codicum obsequio ita conlocata erant *καὶ οὐκ ἐπιτήδεια καταμίγνυσθαι εἰς αἷμα καὶ πνεῦμα νομίζουσιν αὐτῶν*, in quibus si *εἰς* commutaveris in *πρός* omnia firmissime insistent.

Expositis his ad alios quosdam exspatiari iuvat locos propter hiatum de vitio suspectos, in quibus corrigendis priores non satis recte rem administrasse videntur. In lepidissimo loco IV, 1, 1 p. 660 f *οὐκ ἄκραν ἀπόδειξιν ἔχει ἐν ἀέρι καὶ δρόσῳ λέγουσι, καθάπερ οἱ τέττιγες, σιτούμενον,* non animadversum est ab editoribus *οὐκ* nihil esse nisi dittographiam, quam si in marginem reieceris, totum locum aptissime ita refingendum esse intelleges *ἄκραν ἀπόδειξιν παρ-*

ἔχει τοῖς ἀέρι καὶ δρόσῳ λέγουσι, καθάπερ οἱ τέττιγες, σιτούμενον i. e. *gravissimum praestat testimonium eis, qui aëre et rore cicadarum instar eum ali praedicant*, in quibus nemo amplius haerebit. Eadem ni fallor quam supra significavi praepositionum strages gliscit in loco VII, 1, 3 p. 699 f οὐθὲν ἰδίου πόρου δεῖται τὸ περίττωμα τῆς ὑγρᾶς τροφῆς, ἀλλὰ εἷς ἀρκεῖ καὶ κοινὸς, ὥσπερ εὐδιαῖος ἀμφοτέροις εἰς ταὐτὸ διὰ ταὐτοῦ εἰσκομιζομένοις. In his nisi pro εἰσκομιζομένοις substituere quis velit προσκομιζομένοις, quod equidem non suaserim, nihil aliud relinquitur quam ut restituatur συνεισκομιζομένοις, nam infirmius adeo est Benseleri διεισκομιζομένοις ac ne rei quidem convenienter dictum. Hinc transitus fiet ad eiusdem quaestionis c. 2 p. 698 e, ubi in verbis εἰπὼν οὖν ὅτι τοῦ Ἕκτορος ὁ Ἀχιλλεὺς ἤλασε λευκανίην, ἵνα τε ψυχῆς ὤκιστος ὄλεθρος | οὐδ᾽ ἄρ᾽ ἀπ᾽ ἀσφάραγον μελίη τάμε χαλκοβάρεια | ὡς ὄντα φωνῆς ἴδιον ὀχετὸν καὶ πνεύματος olim conieceram ego post ὄντα excidisse τὸν ἀσφάραγον idque nunc a libro Vindobonensi planissime confirmatum video.

Plus dubitationis habet locus V, 2 p. 675 b καὶ τοῦτο μὲν, ἔφην, τὸ ἀνάγνωσμα τῶν οὐκ ἐν μέσῳ ἐστίν. In his Benselerus invitatus palaeographicae mutationis facilitate pro ἐν μέσῳ pessime substituit ἐμμέσων. Quid potissimum requiratur lubrica est coniectatio. Itaque aut transponantur verba in hunc modum καὶ τοῦτο μέν ἐστιν, ἔφην, τὸ ἀνάγνωσμα τῶν οὐκ ἐν μέσῳ, aut, quod praeferendum puto, ἐστιν quippe librariorum supplementum ad marginem relegetur (cfr. Sintenis Ep. ad Godofr. Hermannum p. XLIV sq.)

Aliquotiens dictum est (cfr. p. 42) non semel elisionibus a scribis temere obscuratis ipsa scriptoris verba insignem labem suscepisse atque foedissimos adeo inde invito scriptore invectos esse hiatus, quod novo nunc exemplo inlustrare adgrediar ex libro III, 2, 1 p. 648 b καὶ ὅ γε καρπὸς αὐτοῦ (τοῦ κιττοῦ) μιγνύμενος εἰς τὸν οἶνον μεθυστικὸν ποιεῖ καὶ ταρακτικὸν τῷ πυροῦσθαι. Τὸ δὲ κλῆμα λέγουσιν αὐτοῦ σπώμενον, ὥσπερ τὰ [ἐν] πυρὶ ξύλα συνδιαστρέφεσθαι. In his quod uncis includitur ἐν a Duebnero demum quantumvis repugnantibus codicibus receptum est. Ac videtur sane quam maxime necessarium esse, ut, nisi quis opinandi temeritatem

nimis extimescat, quaerendum sit fueritne olim scriptum in hunc modum *ὥσπερ τἂν πυρὶ ξύλα.* Perquam credibile est enim *τὰ ἐν* eodem iure apud Plutarchum conglutinationem passa esse atque *τὰ ἔμπαλιν, τὰ ἐναντία* similia, vel *καὶ ἐν, καὶ ἐπί, καὶ ἐκ*, quorum loco editur *κἀν* (Mor. p. 1061 b) *κἀπί* (p. 1047 a) *κἀκ* (p. 933 a p. 1053 a et passim). Licet ex his de multis aliis suspitionem movere. Sic mihi non diffiteor, quae codicum sponte sexcentiens elisa inveniuntur *κἄπειτα* et *κἀκεῖνος*. meliora videri ac magis Plutarchea quam quae rarius multo succurrunt *καὶ ἔπειτα* vel *καὶ ἐκεῖνος,* in quibus, ubicunque mundiores libri suadent, *α* et *αι* aut elidi necesse sit aut cum proxima vocali pronuntiando coalescere. In ceteris cum in Quaest. Plut. III p. 60 sq. iusto audacius refingendum opinarer *τὸ μὲν μεθύσκειν κιττοῦ καρπὸν οἴνῳ μιγνύμενον*, de mutationis necessitate nunc subdubito, siquidem id quod desiderabam eodem artificio intellegi potest, atque in eo quod de olivis vel glandibus fageis usurpatur *ἐλαία* et *φηγός*. Cuius rei memorabile exstat documentum apud Plutarchum ipsum Mor. p. 24 d *ὥσπερ Ἐλαίαν τὸν ἀπὸ τῆς ἐλαίας καὶ Φηγὸν τὸν ἀπὸ τῆς φηγοῦ καρπὸν ὁμωνύμως τοῖς φέρουσιν (ὀνομάζομεν).*

Verum ab his abeo ut pergam in eorum locorum recensione, qui propter hiatum aliquid vitii traxisse videantur. Quorum unus VII, 5, 2 p. 705 b *καὶ τὸ μετὰ πολλῶν θεάσασθαί τι καὶ ἀκοῦσαι ἐπιτερπέστερόν ἐστι* mutato verborum ordine sanandus videtur, ut ponatur *θεάσασθαι καὶ ἀκοῦσαί τι ἐπιτερπέστερόν ἐστιν,* in quibus ne quis damnet hiatum inter *ι* et *ἐπιτερπέστερον*, praecautum est his similibus e. g. p. 673 a *καὶ τῷ ζητεῖν τι ἀκούειν*, p. 699 a *βλέπων τι ὀξύτερον*, p. 656 c *ἴδιόν τι ἐπιχειρήσομεν*, quamquam ibi Vind. et Paris. alter liberius, quam ut probari possit, traiciunt verba; eodemque pertinet *μειράκιον ἔτι ὄντα* in Demetr. c. 28 s. f., quamquam vocabulo *ἔτι* hanc licentiam concedere quis vereatur ob eam causam, quod alias passim transpositum invenitur *ἔτι παῖς ὤν* similia vel *ἔτι μικρὰν οὖσαν* ut in Anton. 53. Quae tamen non plus mirationis habent, quam quod inpune coniungitur *τί οὖν, τί [ἂν] ἀντιλέγοι τις* p. 712 a, *καὶ τί ἄν τις* saepius.

Quam salutaris sit huius rei observatio perspicitur ex

loco VIII, 10, 3 p. 735 e. In his cum antiquitus volgetur γλεύκους (ita recte Steph.) δὲ ζέοντος ἀεὶ ἀφαιρεῖσθαι καὶ τοὺς ἐργάτας δεδιότας ὁρῶμεν, editores certatim corrigere adgressi sunt ἀφαιρεῖσθαι, nimirum quod priscae illius aetatis domesticos non adeo sibi furaces fuisse persuaserunt, ut in caveas dominorum boni malive aliquid vini furandi causa descendissent. Credo ego omnes omnium aetatum domesticos easdem semper incudes tutudisse, quod perfacile est experiri cupienti. Itaque nihil profecto mihi hic commissum videtur, quare ad verbum ἀφαιρεῖσθαι corrigendum perfugiatur, ut unus restet hiatus intolerabilis inter ἀεί et ἀφαιρεῖσθαι, quem nescio an inepta vocula ἀεί remota ita recte regulae accommodasse videar γλεύκους δὲ ζέοντός τι ἀφαιρεῖσθαι κτλ.

Quod de ferendo hiatu in nominibus propriis dixi idem accipi volo de verbis VI, 7, 1 p. 692 e, ubi consentientibus libris omnibus legitur οἱ δὲ παλαιοὶ καὶ τρύγα τὸν οἶνον ἄντικρυς ἐκάλουν, ὥσπερ ψυχὴν καὶ κεφαλὴν τὸν ἄνθρωπον εἰώθαμεν ἀπὸ τῶν κυριωτάτων ὑποκορίζεσθαι, καὶ τρυγᾶν λέγομεν τοὺς δρεπομένους τὴν ἀμπελίνην ὀπώραν καὶ διατρύγιόν που Ὅμηρος εἴρηκεν, in quibus Benselerus propere που in τόπον mutandum opinabatur. Non credo equidem hoc probari posse, sed propter sententiae labem legendum esse τὴν ἀμπελίνην ὀπώραν ἣν καὶ διατρύγιόν που Ὅμηρος εἴρηκεν. Nam διατρύγιον non recte hic sumi posse de ipso vino et Homerus demonstrat et disertius etiam proxima verba αὐτὸν δὲ τὸν οἶνον αἴθοπα καὶ ἐρυθρὸν εἴωθε καλεῖν, ut verissime docuit Benselerus. Neque, si Plutarchum sumpsisse censemus διατρύγιος ab Homero alicubi de uvis maturis usurpatum fuisse, magnopere periclitatur Eustathii auctoritas ad Odyss. ω, 340, cum praeter volgarem vocabuli interpretationem, temere arreptam ab Apollonio, διατρυγίους ὄρχους dici τοὺς οἰνικοὺς, ἀλλὰ τοιούτους ὡς μεταξὺ τῶν κατὰ τὰ φυτὰ στοίχων παρεσπάρθαι τι τῶν σπορίμων καὶ οἷον τρυγᾶσθαι, alteram veriorem subiciat hanc διατρύγιον significare ἄμπελον, ἧς οἱ καρποὶ ἐν διαφόροις καιροῖς πεπαίνονται. Ut iam veteres in explicatione huius vocis, quippe usu antiquatae, titubasse testatum faciant discordes hae Eustathii aliorumque explicationes. Ad alteram certe interpretationem, quam principio posuimus, eorum quae

dicit Plutarchus nihil prudenter aptari potest. Quem non adeo ineptum fuisse credibile est, ut *διατρύγιος* alio sensu adhibuerit vel adhiberi voluerit, quam qui pro re nata simplicissimus esset, quemque ad etymologiam, quam — iure an iniuria nihil refert — propositurus erat, plurimis promptum et expeditum visum iri speraret. Itaque de loco certe, qui dictus fuerit *διατρύγιος*, ne cogitavit quidem Plutarchus. Ne illud quidem sine nota aut suspitione praetermittendum, uno quod sciam hoc loco prodi *τρύγα* a veteribus usurpatum esse de omni vino, cum potius unanimi omnium constet consensu *τρύγα* significare vinum nondum defaecatum s. mustum vel etiam Plutarchi aetate vini genus *secundarium*, quod dicitur lora (nostratium *Lauer*) apud Romanos, *δευτερίας* s. *στεμφυλίτης οἶνος* apud Graecos (cfr. Niclas ad Geop. I, 457*), quod breviter indicavit Hesychius s. v. *τρύξ· ὁ νέος οἶνος παρὰ τὴν τρύγην καὶ γλεῦκος ἀδιήθητον*, quocum congruit Suidas s. v. *τρυγὸς γλυκείας· τουτέστι τοῦ νέου· τρύγα γὰρ καὶ τὸν νέον οἶνον ἐκάλουν καὶ τὴν ὑποσιάθμην.* Eodemque modo de hoc vocabulo enarravit Galen. de alim. facult. II, 9 p. 579 K., quem citavit Niclas ad Geop. l. l. *τό γε μὴν ὑφιστάμενον τοῖς οἴνοις παχὺ οἱ πολλοὶ τῶν ἀττικιζόντων ὀνομάζουσι τρύγα*, et paulo post *τὸ γάρ τοι τῶν βρυτίων ἀπόβρεγμα τρύγα καλοῦσιν, ὅπερ αὖ πάλιν οἱ ἀττικίζοντες ὀνομάζουσι δευτερίαν· στεμφυλίτης* (cfr. Geop. l. l. *ἣν ἐπιχωρίως καλοῦσι θάμναν*) *οὗτος παρ᾽ ἡμῖν καλεῖται.* Ut qui praeter Plutarchi locum adhibito Cratini testimonio apud Pollucem in Onomast. VI, 18 *τὸν δὲ οἶνον καὶ τρύγα ἐκάλουν ὡς ἐν Ὥραις Κρατῖνος λέγει·*

ἀλλ᾽ ἦν ὅτ᾽ ἐν φώσωνι τὴν ὀσφὺν ἔχων
μετ᾽ ἐμοῦ διῆγες, οἰνάριον ἕλκων τρυγός,

τρύξ de vino latiore significatu apud veteres usu venisse contenderunt, verear ne inconsultius egisse censeantur. Nam licet nonnihil dubii in hoc loco vel post Meineki operam, viri mea laude longe superioris, relictum sit ob genetivum *τρυγός* ad *οἰνάριον* liberius adiunctum, cum licuerit sine

*) Huc quoque convenit quod in tanto vocabuli significatus ambitu nusquam de aliis rebus dicitur quam de cuiuscunque generis sedimentis vel *ὑποστάθμαις*, qua de re doctissime adnotavit exemplaque congessit Lobeck ad Phryn. p. 73.

offensione dicere *τρυγὸς ἕλκων*, id quod Meinekium permovisse videtur, ut nuper hos versus ita scribere praeoptaret

ἀλλ' ἦν ὅτ' ἐν φώσσωνι τὴν ἴσην ἔχων
μετ' ἐμοῦ διῆγε μοῖραν, ἕλκων τῆς τρυγός,

hoc tamen, utcunque statuitur, extra omnem dubitationem positum est, Cratinum significare hominem infimae sortis, qui praeterquam quod vili lintea veste indutus erat, vilissimam etiam biberet vappam. Ex hoc igitur loco nihil opinor concludi poterat de latiore vocabuli *τρύξ* significatu. Has ob rationes unam voculam errore librarii in Plutarchi verbis omissam suspicor et huiusmodi fuisse veram orationis formam *οἱ δὲ παλαιοὶ καὶ τρύγα τὸν νέον οἶνον ἄντικρυς ἐκάλουν.* Atque hic quidem erroris causa quoque manifesta est in terminatione *ον* bis posita, quarum quam facile hauriri potuerit alterutra, nulla eget demonstratione.

In quaestione cur Pythagorici piscium potissimum esum detestati fuerint VIII, 8, 3 p. 730 d *ὅθεν οὐ παρ' Αἰγυπτίοις μόνον οὐδὲ Σύροις, ἀλλὰ καὶ παρ' Ἕλλησι γέγονεν ἁγνείας μέρος ἀποχὴ ἰχθύων,* Benselerus, morosus alioquin hiatuum osor atque exagitator, verbis *ἀποχὴ ἰχθύων. ut in certo ritus solemnis nomine,* nihil offensus est, in quo iudicio si quid video vix quemquam, modo aliquam harum rerum habeat notitiam, adsentientem habebit. Prorsus enim alienae sunt, ad speciem quamvis similes, huiusmodi conpositiones unam quasi notionem formantes ac tam certo ubique foedere iunctae, ut legentes facile praeterlabantur, veluti *τακτικοῦ καὶ ἁρμονικοῦ ἀνδρός* p. 618 c, *ἐρωτικοῦ ἀνδρός* p. 751 b (*ἐρωτικὸς ἀνήρ* p. 654 d, conl. p. 761 b *συγκλητικὸς ἀνήρ* p. 737 c), *θριαμβικοῦ ἀνδρός* Pomp. 24 vel *γυμνικοῦ ἀγῶνος* p. 638 b vel etiam *τοῦ καλοῦ Ἀγάθωνος* p. 645 e cet., quorum exempla omnibus prompta sunt et obvia ac Benselero suasore merito in civitate retenta, sed quae cavendum est ne cum dissimilibus conponantur. In quo ad hoc potissimum diligenter animum adverti necesse est, ut mutabilia discernantur ab immutabilibus. Atque fixae quidem illae iuncturae quid momenti adferant hiatui excusando optime cognoscitur si, quando ex solito variaverit auctor qua ratione id factum sit, adcurate perscrutaberis. Cuius rei perquam memorabile exemplum extat in Erotic. p. 754 d, ubi cum leni verborum traiectione

utpote in laxiore ac voluntaria magis conpositione, scribi licebat τί δεινὸν εἰ γυνὴ νοῦν ἔχουσα πρεσβυτέρα κυβερνήσει νέον βίον ἀνδρός. Idem contra vocabulum ni fallor inpune cum nulla librorum dissensione, naturali suo ut par erat ordine retento, hiatum parere vides in Symp. III, 7, 1 p. 655 e τοῦ νέου οἴνου Ἀθήνησι μὲν ἑνδεκάτῃ μηνὸς κατάρχονται, quem locum perperam adtemptavit Benselerus, ut qui substituturus esset τὸν οἶνον — κατάρχονται, cum propius multo si oporteret, ad codices corrigere potuisset τοῦ νέου μὲν οἴνου Ἀθήνησιν ἑνδεκάτῃ μηνὸς κατάρχονται. Sed quo minus in his quicquam novandum suspicor, tanto magis videndum est, ne licentiae huius (quid enim aliud adpellem) termini iusto latius propagentur, quod in priore loco accidisse videtur Benselero. Ad quem qui conparaverit Plut. Demetr. c. 38 καὶ παραλύειν ἀτρέμα καὶ θεραπείας ἀμελείᾳ καὶ τροφῆς ἀποχῇ τὸ σῶμα, non dubitabit, quin hiatus expiatus sit hoc modo ἁγνείας μέρος ἰχθύων ἀποχή.

In loco libri IX, 1, 2 p. 737 a, ubi inquisiturus de versibus opportune aut secus pronuntiatis, post alia mentionem inicit pueri, qui genuino prorsus patriae amore perfusus, coram Mummio, Corinthi eversore, haud veritus sit hunc versum Odysseae scribere

τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, οἳ τότ' ὄλοντο,

nondum persanatus est locus καὶ γὰρ παθεῖν τι τὸν Μόμμιόν φασι καὶ δακρῦσαι καὶ πάντας ἀφεῖναι ἐλευθέρους τοὺς τῷ παιδὶ προσήκοντας. In his ut intolerabilis removeretur hiatus Benselero placuisse inserere articulum ante ἐλευθέρους prope est ut indigner. Quid multa? Una est eaque certissima emendatio si ἐλευθέρους plane eiciatur. Quod additamentum est ex eo genere, cuius plurima libros Plutarcheos obsidere saepius dictum est (Cobet VL. p. 371 sqq.). Nempe non intellexit scriba, quomodo ἀφεῖναι per se significare potuerit *liberum aliquem dimittere*, qui isto supplemento ad inlustrandam sententiam opus esse credebat vel memoria tenebat similes similiter conformatos locos apud Plutarchum, veluti in vita Demetr. 15 ὥστε ἐλευθέρας ἀφεῖναι τὰς πόλεις. Geminus est locus commenticii Plutarchi de mul. virt. p. 260 d τὴν δὲ Τιμόκλειαν ἀφῆκεν, αὐτήν τε καὶ πάντας ὅσοι κατὰ γένος αὐτῇ προσήκοντες εὑρέθησαν.

Alter locus est de Cassio Longino IX, 1, 3 p. 737 b *Κασσίῳ δὲ Λογγίνῳ λόγου προσπεσόντος ἀδεσπότου, τὸν υἱὸν ἐπὶ ξένης τεθνάναι καὶ τὸ ἀληθὲς ἔχοντος εἰπεῖν οὐδὲ ἀνελεῖν τὸ ὕποπτον, εἰσελθὼν συγκλητικὸς ἀνήρ κτλ.* Ita haec verba in vetustis editionibus leguntur, a quibus codices nihil, quod ad rem pertineat, deflectunt. Quae cum aperte vitiosa sint, editores certatim locum suspitionibus temptarunt, ex quibus Reiskius coniecit *καὶ οὐδενὸς οὐδὲ τἀληθὲς ἔχοντος,* Wyttenbachius *καὶ τὸ ἀληθὲς οὐκ ἔχοντι εὑρεῖν* vel *ἑλεῖν*, quod propter hiatum reiectaneum est, Benselerus *καὶ τἀληθὲς οὐδ' ἔχοντος εἰπεῖν.* Licet quidnam horum conaminum praeoptaveris, ad sententiam non multum intersit, tamen nec Reiski suspitio praeter necessitatem conplura turbantis satisfacit et Benseleri correctio hoc incommodum habet gravissimum, quod praeterquam quod, quonam casu interciderit negatio, ut in ceterorum coniecturis, incassum quaeris non satis perspicitur quo referendum sit *ἔχοντος.* Scribendum est autem elegantissima et aptissima orationis forma *καὶ τὸ ἀληθὲς**) *οὐκ ὄντος εἰπεῖν οὐδὲ ἀνελεῖν τὸ ὕποπτον* i. e. *cum nemo adesset, qui de morte filii verum loqui aut suspitionem diluere auderet* etc.

Libro IX, 13, 3 p. 743 b in verbis *οὐδ' ἠμνημόνει τῶν ὑπ' αὐτοῦ εἰρημένων* supersederi transpositione, quam commendaverat Benselerus, posse arbitror, cum reputo in ea scribarum festinatione qualis est in his libris, quam alia quoque exempla sat multa produnt, haud incredibile esse, ut a Plutarcho sit *τῶν ὑπ' αὐτοῦ διειρημένων.* Item mihi suspitio est pro hisce IX, 13, 1 p. 742 a *πῶς οὖν, ἔφην, τὴν δίκην ταύτην ἰθύντατα εἴποι καὶ διαιτήσειε τὴν ἀντινομίαν* substituendum esse *πῶς οὖν, ἔφην, τὴν δίκην ταύτην ἰθύντατα διείποι τις καὶ διαιτήσειεν*, in quibus *τις* a Meziriaco, qui praeterea haud inepte proponebat *διέποι*, occupatum video. Nec dubitandum quin eadem emendandi via ingredienda sit VI, 7, 1 p. 692 c *καὶ τὸν οἶνον οὐκ ἔφη δεῖν ἐγχεῖσθαι ἠθημένον,* ubi cum Benselero quantocius scribendum *διηθημένον.* Quae quidem scribarum facinora ad illud interpolationis genus pertinent, quo, accedente

---

*) *Τὸ ἀληθές* retinui propter Mor. p. 229 a. 942 c. 1000 d. 1021 a. 1023 f. 1031 d. 1047 c. 1055 f.

inter scribendum aliqua ex taedio neglegentia, praepositiones conpositorum, tanquam nullius commodi, arrepta tantum quae se animo offerebat notarum vocum specie, omitterentur, idque multo latius in codice archetypo patuit quam volgo creditur.

In loco IX, 15, 2 p. 748 d, ubi editur *καὶ γὰρ αὕτη (ἡ ὄρχησις) καὶ πάνδημόν τινα ποιητικὴν προσεταιρισαμένη, τῆς δ' οὐρανίας ἐκπεσοῦσα ἐκείνης*, perperam Benselerus nescio quo errore circumductus pro *ἐκείνης* breviorem formam *κείνης* Plutarcho obtrudere conatus est, cuius apud eum conparet nec vola nec vestigium. Sed his refutandis supersederi inpune poterit, immo hic quoque gratissimo traiectionis verborum adminiculo quam maxime utendum erat, ut scriberetur *τῆς δ' οὐρανίας ἐκείνης ἐκπεσοῦσα*. Sed et haec nunc dimittamus et Benselerum ipsum v. d., qui nobis hanc moram iniecit, cum quae de hac causa a me aliisque et ab hiatuum adeo desultoribus*) in ceteris Plutarchi scriptis inter legendum observata sunt, alio loco alioque tempore, ubi Hercheri diligentia novos aperuerit variarum lectionum thesauros, sine quibus in tam ancipiti et salebrosa re pedem promovere potest nemo, plene enucleateque expositurus sim. Itaque redeo unde digressus sum.

Saepe dictum est non paucos Symposiacorum locos insanabiles videri, quod lacunarum premantur suspitione; in aliis feliciter detecta lacuna facili molimine expleri potest, ut loco nova prorsus et inexspectata lux adfulgeat. Unum alterumve subiciam exemplum.

Libro IV, 5, 1 p. 670 a inquirens in partes quas sues in re cereali habuissent, quosdam credidisse ait, per sues arandi artificium monstratum esse, ut qui vocabulum *ὕννις* ab *ὗς* derivassent. Deinde pergit *οἱ δὲ τὰ μαλθακὰ καὶ κοῖλα τῆς χώρας Αἰγύπτιοι γεωργοῦντες, οὐδ' ἀρότρου δέονται τοπαράπαν· ἀλλ' ὅταν ὁ Νεῖλος ἀπορρέῃ καταβρέξας τὰς ἀρούρας, ἐπακολουθοῦντες τὰς ὗς κατέβαλον*. Quae verba conparare iuvat cum Herodoteis II, 14 *ἀλλ' ἐπεάν σφι ὁ ποτα-*

*) Veluti si nuper in vita Dionis 6 pro volgato *φάρμακον ὑπνωτικὸν αἰτοῦντι δόντες* dedita opera caecutientes corrigere volebant *φάρμακον αἰτοῦντι ὑπνωτικὸν δόντες* et quae sunt alia non ita pauca huius diligentiae monstra.

μὸς αὐτόματος ἐπελθὼν ἄρσῃ τὰς ἀρούρας, ἄρσας δὲ ἀπολείπῃ ὀπίσω, τότε σπείρας ἕκαστος τὴν ἑωυτοῦ ἄρουραν ἐσβάλλει ἐς αὐτὴν ὗς et Eudoxi apud Ael. d. n. a. X, 16 *Εὔδοξος δέ φησι φειδομένους τοὺς Αἰγυπτίους τῶν ὑῶν μὴ θύειν αὐτάς, ἐπεὶ τοῦ σίτου σπαρέντος ἐπάγουσι τὰς ἀγέλας αὐτῶν· αἱ δὲ πατοῦσι τὸν πυρὸν καὶ εἰς ὑγρὰν τὴν γῆν ὠθοῦσιν, ἵνα μείνῃ ἔμβιος καὶ μὴ ὑπὸ τῶν ὀρνίθων ἀναλωθῇ* et novissimi testis Diodori I, 36, 4 *καθόλου δὲ (ὁ Νεῖλος) τοσαύτην τοῖς μὲν ἔργοις εὐκοπίαν παρέχεται, τοῖς δ' ἀνθρώποις λυσιτέλειαν, ὥστε τοὺς μὲν πλείστους τῶν γεωργῶν τοῖς ἀναξηραινομένοις τῆς γῆς τόποις ἐφισταμένους καὶ τὸ σπέρμα βάλλοντας ἐπάγειν τὰ βοσκήματα, καὶ τούτοις συμπατήσαντας κτλ.*, quamlibet ut vides variantis paulisper in mentione suum, quae in hac quidem narratione permira ei videbatur haud dubie et suspitiosa perinde atque aliis. Qui cum sues, quod ratio ipsa evincebat, merito et nomine et re sint *λυμαντικοὶ τοῖν θεοῖν δωρημάτων* (Schol. Aristoph. Ran. 338), quemadmodum apud Clementem Alex. Strom. VII, 6, 33 p. 849 P., licet ibi disserentem de Iudaeis, legitur *ταύτῃ καὶ μάλιστα Ἰουδαῖοι χοιρείου ἀπέχονται, ὡς ἂν τοῦ θηρίου τούτου μιαροῦ ὄντος, ἐπεὶ μάλιστα τῶν ἄλλων τοὺς καρποὺς ἀνορύσσει καὶ φθείρει* (cfr. Movers Phoen. I p. 221), rectius haud dubie fecisse sibi informaverant Triptolemum ad Cereris aram suem mactantem, *cum quod severat effodisset*, quam quod Aegyptiis usu venisse repperperunt. Atqui paria tradit Plinius, graecis haud dubie usus auctoribus, h. n. XVIII, 18, 168: volgo credebatur a decessu Nili serere solitos *mox sues inpellere vestigiis semina deprimentis in madido solo;* et credo antiquitus factitatum, nunc quoque non multo graviore opera. Quae quidem testimonia adeo inter se concinunt, ut quin ex uno eodemque fonte profluxerint, tanto minus ambigi possit, quo magis eos qui post Herodotum de rebus Aegyptiacis rettulerunt, ab auctoritate eius pendere videmus. Neque Plutarchi verba Herodotei coloris immunia sunt. In quibus quae de subus ab Aegyptiis ad semina altius deprimenda in solo madido immissis, rectene per monumentorum fidem*) an secus

*) In monumentis Aegyptiorum quae varias rusticationis partes repraesentant, nusquam conparent sues, sed caprae, veluti in tabula prope

tradita sint nunc adcuratius inquirere supersedebo. Illud profecto luce clarius est, neque Herodotum neque eos qui paupertino plerumque sermone auctorem suum studiose propagarunt, unum fortasse si exceperis Diodorum, cuius tenuis admodum in his rebus auctoritas, quamquam narratio ipsa uberiore induta est sermone, de alio bestiarum genere cogitare potuisse quam de subus. Quas per se nihil inpedire videtur, quominus in solo madido ac lutoso statim post Nili regressum gratiorem etiam sibi cibatum (veluti serpentes, ut distincte adnotavit Plin. h. n. XI, 53, 279) reppererint, quam semina, ut alterum altero eas praeoptare potuisse credibile sit. Id quod moneo eorum interpretum gratia, quos, cum mirifico plane commento sues huic muneri rustico propterea adhiberi potuisse negant, quod devorassent potius semina, quam in solo depressissent, non absterruit tot scriptorum consensus, quo minus ex subus boves facere adgrederentur. Atqui Aegyptii semina

---

pyramides eruta apud Wilkinson, A second series of the Manners and Customs of the ancient Egyptians Vol. I p. 38, ut non omni careat veri similitudinis specie, has sues natas esse in cerebris eorum qui vel primi haec Aegyptiorum rusticantium negotia conspexerunt, vel qui, idque multo probabilius est, tabulas opera rustica Aegyptiorum exhibentes neglegenter perlustraverunt et caprarum loco sues sibi vidisse videbantur, cum praesertim genus caprarum Aegyptiacarum parum cognitum esset Graecorum peregrinatoribus. Ceterum ita de hac re enarravit Wilkinson l. l. p. 46, quae integra hoc loco subicere visum est: *There has been some doubt respecting the admission of swine into the fields after the inundation, and considerable criticism has been expended on the statement of Herodotus. Some have objected, that their voracious habits were more likely to injure than to benefit the cause of the husbandman, and that many other animals might be chosen for the purpose of treading in the grain without the fear of their destroying what they were intended to preserve: but the learned Larcher very properly suggests, that muzzling them would effectually obviate this inconvenience, and that the historian may allude to their admission into the fields previous to the sowing of the grain, for the purpose of clearing the land of roots and noxious weeds, whose growth was favoured by the water of the inundation: an opinion which is strengthened by the representation of some pigs given in a previous part of this work, from a tomb at Thebes, where the introduction of water plants seems to indicate the use for which they were employed. Nor, indeed, considering how unclean those animals were considered by the Egyptians, is it likely that they were kept for any but agricultural purposes; and no one has a greater appearence of probability than that to which I have alluded.*

non adeo rara sparsisse videntur, ut non sues quamlibet voraces, nec scilicet minus sues quam nostratium porcelli, plus satis granorum vestigiis depressissent. Ac pinguia arva ex uno semine fruticem saepe numerosum fundere densamque ex raro semine segetem emittere, si non usus doceret, diserto haud dubie Plini testimonio discere possemus (cfr. Plin. h. n. XVIII, 24, 199). Itaque haec quidem suum commemoratio non admodum magnam difficultatem habet. Sed quo expeditior in his mihi videtur opera, eo magis exagitamur intricata quaestione, qui factum sit, cum ab Herodoto et pedisequis eius praeter Diodorum ad unum omnibus, Aegyptii diserte dicantur *sues in agros tritico consitos egisse*, ut id quod ad rem maxime necessarium esset ab uno Plutarcho, in ceteris aut nihil aut pusillum ab auctore discedente, cum insigni sententiae detrimento omitteretur? Atque indicatum fuisse olim eiusmodi quid, nescio an testimonium praebeant verba quibus haec continuantur *καὶ τὸν σπόρον ἀπέκρυψαν*. Cui incommodo quo satisfiat equidem non video quid a Plutarcho aptius, cetera omnia eisdem paene cum Herodoto verbis redhibente, exarari potuerit quam *ἀλλ' ὅταν ὁ Νεῖλος ἀπορρέῃ καταβρέξας τὰς ἀρούρας ἐπακολουθοῦντες καὶ σπείροντες τὰς ὗς κατέβαλλον*, quae quid significent non est quod dicatur pluribus. Hoc unum addam, ne quis cum Reiskio exspectet *εἰσέβαλλον*, in memoriam revocandum Plutarchum loqui de locis depressis, ubi Nilus regressus resederit, ut quaerendum sit, meritone sit repudiatum, quod in verbis Clem. Alex. Protrept. p. 14 P., perspicua emendatione Lobecki temptatis (Aglaoph. p. 827 sqq.), pro volgato *χοίρους ἐκβάλλοντες*, cui substituit *ἐσβάλλοντες*, a Salmasio propositum erat *χοίρους καταβάλλοντες*, cum sermo sit de subterraneis cavernis, in quas porcos demerserint. Sed totus iste locus ne Lobecki quidem suspitione persanatus videtur. In alia causa Plutarchus de vulpeculis a barbaris in fluvios praemissis ad glaciei crassitudinem indagandam usurpavit *προβάλλειν* de primo frig. p. 949 d *ὅθεν οἱ βάρβαροι διαβαίνουσι πεζῇ, προβαλόντες ἀλώπεκας κτλ.*, quibus confero Paus. IX, 8, 1 *ἐς τὰ μέγαρα καλούμενα ἀφιᾶσιν ὗς τῶν νεογνῶν*.

In eadem vicinia haec leguntur *τὴν δὲ ὗν ἀποχρηστῆσαι καὶ τιμᾶσθαι λέγουσι· πρώτη γὰρ σχίσασα τῷ*

προὔχοντι τῆς ὀρυχῆς (*ὥς φασι*) *τὴν γῆν, ἴχνος ἀρόσεως ἔθηκε καὶ τὸ τῆς ὕνεως ὑφηγήσατο ἔργον.* In his nemo acquiescere poterit in tradita codicum memoria *ἀποχρηστῆσαι*, quod verbum nihili est. Sed quod e Turneb. et Vulc. ab Reiskio et Wyttenbachio commendatum est *ἀπὸ τῆς χρείας* pro monstruoso *ἀποχρηστῆσαι* nihil aliud est, quam prava correctio Turnebi, quae praeterea a similitudine litterarum parum commendationis habere videtur. Itaque vide num ex codicum *ἀποχρηστῆσαι* rectius effecerim *ἀπ᾽ ὀρυχῆς**), quo recepto fortasse *καί* ante *τιμᾶσθαι* ablegandum erit. In promptu est, cum in archetypo litteris plus minus evanidis et ad cognoscendum difficilibus coniuncte scriptum esset *ΑΠΟΡΥΧΗϹ*, librarium primum oscitanter adiecisse *αι*, ut infinitivum qualemcunque inde formaret, quo effecto *καί* addendum fuisse planissime perspicitur. Ac suspicor etiam corrupti nunc vocabuli memoriam servatam esse in proximo versu, ubi cum plane inepte edatur *τῷ προὔχοντι τῆς ὀρυχῆς*, scriba oculis aberrasse videtur ad versum priorem, in quo antiquitus scriptum erat *ἀπ᾽ ὀρυχῆς τιμᾶσθαι λέγουσι*, cum praesertim easdem paene litteras sibi repperisse videretur. Atque harum quidem syllabarum iactura, ut probabili coniectura resarciatur, nihil simplicius scribi visum est quam *τῷ προὔχοντι τοῦ ῥύγχους*, ut olim rectissima ratione restituit Reiskius. Ceterum Fr. Osannus, hic quidem causae vanissimae patronus, ad Cornutum d. n. d. p. 343, male et sibi et Plutarcho consuluit, qui, cum paulo post legatur *αἱ δὲ χρησάμεναι πάτῳ καὶ ὀρυχῇ*, sufficere id opinatus est ad defendenda priora *τῷ προὔχοντι τῆς ὀρυχῆς*, qui quidem vocis insolentior de rostro suillo usus, ex dialecto plebeia adscitus ei videbatur hancque fuisse causam ut adiceretur *ὥς φασι*, quod ad totum potius membrum pertinere manifestum est. Equidem opinor rostrum suis apud omnes Graecos homines semper et ubique vocitatum fuisse *ῥύγχος*, neque facile est ad credendum Plutarchum provinciale eius-

*) De *ἀπό* praepositionis usu quamquam est eiusmodi, qui ipse se etiam sine exemplis tueatur, praeter Held ad Timol. p. 314 inprimis conferendi sunt hi loci: Thuc. II, 63 *τὸ τιμώμενον ἀπὸ τοῦ ἄρχειν*, VI, 12 *θαυμάζεσθαι ἀπὸ τῆς ἱπποτροφίας*, II, 37 *προτιμᾶσθαι ἀπ᾽ ἀρετῆς*, Plut. Agis 20 *δοτέον* (*τὸ μεγαλύνειν αὐτοὺς*) *ἀπὸ τῶν καλῶν ἔργων*, Lysand. 24 *αἱ δὲ ἀπ᾽ ἀρετῆς τιμαὶ πᾶσι προὔκειντο τοῖς δυναμένοις.*

modi nomen, si revera exstitisset, orationi immiscuisse. Nisi quis in animum induxerit ὀρυχή nomen fuisse sacerdotale mysticae si diis placet dialecti vel etiam Orphei doctrinae, insolentium vocabulorum aucupi, cui sulci audiebant αὔλακες et semen μίτος et aratrum κερκὶς καμπύλοχος et si quae sunt huic generi adfinia. Tantae igitur molis erat sues ab hac certe culpa innocentissimas defendere, quarum si paulo reconditior, at eadem sanissima est ratio.

Ut igitur in hoc loco describentibus a vetusto codice male habito error obiectus est, ut alia ponerent quam quae a Plutarcho viderentur esse profecta, ita in libro VIII, 4, 5p. 724 e et fugientes scripturae veteris laciniae male lectae et scribarum neglegentia adeo largam corruptelis ansam dedit, ut locus paene pro desperato haberi posset. Ponam illum ut excusus est in Aldina ἡμῖν δὲ τοῖς Ἕλλησιν ἥκιστα μέν ἐστι χρειώδης (ὁ φοῖνιξ), ἀθλητικῇ δὲ φιλοσοφίᾳ, καὶ τὸ ἄκαρπον ἂν εἴη· κάλλιστος γὰρ ὢν καὶ μέγιστος ὑπ᾽ εὐταξίας, οὐ γόνιμός ἐστι παρ᾽ ἡμῖν, ἀλλὰ τὴν τροφὴν ὥςπερ ἀθλητοῦ περὶ τὸ σῶμα τῆς ἀταξίας ἀναλισκούσης, σμικρὸν αὐτῷ καὶ φαῦλον εἰς σπέρμα περίεστιν. Haec est codicum complurium lectio, quam etiam editores ante Duebnerum, quantum quidem ego sciam, omnes tenuerunt; in aliis pro ἀθλητοῦ scribitur ἄθλησιν, horumque auctoritatem secuti sunt Reiskius et Wyttenbachius; de cetero nihil adnotatur lectionis discrepantiae, nisi quod pro altero ἀταξίας in castigatioribus atque etiam in libro Vindobonensi scriptum est εὐταξίας. Nemini autem dubium esse potest, quin sermo sit de similitudine quae intercedat inter palmae atque athletae vivendi rationem. Unde primum in promptu positum est, ἀθλητικὴν φιλοσοφίαν nihil aliud posse significare, quam rationalem athletarum vivendi morem ex longo usu probatum, quo ut corpus firmius redderent atque robustius, fortiore vescerentur sagina atque voluptatibus venereis sese abstinere iuberentur. Quam in rem nihil aptius adferri potest quam testimonium Clementis Strom. III, 6 p. 534, 16 P. φασὶ δὲ καὶ ἀθλητὰς οὐκ ὀλίγους ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι δι᾽ ἄσκησιν σωματικὴν ἐγκρατευομένους*).

---

*) Quamquam Plinius h. n. XXVIII, 6, 58 *athletas torpentes* dixit *venere restitui.* Eodem pertinet Cyprian. Epist. I p. 5 W.: paratur gladiatorius

At enim in propatulo est neque Reiskium neque Wyttenbachium lepidam Plutarchi conparationem totamque loci rationem satis perspectam habuisse, quorum alter mirifice res perturbans *φιλοσοφία* per *locum speculationis, unde scitam salutaremve sententiam elicias* interpretatus est, alter, cum quorsum pertineat *ἂν εἴη* parum liqueat, hanc proposuit coniecturam: *ἀθλητικῇ δὲ φιλοδοξίᾳ διὰ τὸ ἄκαρπον ἀνείθη* h. e. *sed athletico gloriae studio propter sterilitatem consecratus*, quod, quamvis ad sententiae tenorem paulo melius sit, nullo modo tamen probabile videbitur, cum qui athleticum gloriae studium conponi potuerit cum palmarum sterilitate, nemo plane dispicere possit. Qui tamen ut persuaderet Duebnero fortasse propterea factum est, non quod ei constaret de emendationis veritate, sed quod ea recepta locus minore offensione legi posset. Omissa Faehsi perversitate, qui *ἀθλητικὴ δὲ φιλοτιμία καὶ τὸ ἄκαρπον ἂν αἰνοίη* effutierit, verius hoc puto, ut post *ἄκαρπον* aliquid deesse opinemur et totus locus ita constituatur *ἀθλητικῇ δὲ φιλοσοφίᾳ καὶ τὸ ἄκαρπον ἀνάλογον ἂν εἴη*, in quibus pro *ἀνάλογον* libenter accipiam aliud eiusdem potestatis vocabulum, quod propius accedat ad *ἄκαρπον*, quamquam ut perierit, eo potius proclivi errore effectum crediderim, quod vocabulum iuxta positum eodem conpendio terminatum erat. Sed maius etiam proxima verba legenti negotium facessunt. In quibus, omissis interpretum somniis, mihi quidem rectissime habere videtur optimorum codicum memoria *κάλλιστος γὰρ ὢν καὶ μέγιστος ὑπ' εὐταξίας, οὐ γόνιμός ἐστι παρ' ἡμῖν*, quod Reiskio auctore interpretor de *modestia* vel *continentia* (cfr. Cat. min. 8 *ἐπιδεικνύμενος εὐταξίαν καὶ ἐγκράτειαν*, quibus opponuntur *μαλακία καὶ τρυφή* *)), qua efficitur, ut quidquid virium

ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Inpletur in succum cibis fortioribus corpus, et *arvinae toris membrorum moles robusta pinguescit*, ut saginatus in poenam carius pereat, et Philo leg. alleg. I p. 58 B *μὴ μόνον φάγῃ, ἀλλὰ καὶ βρώσει. τουτέστι καταλέσας καὶ ἐπιλεαίνας μὴ ἰδιώτου ἀλλ' ἀθλητοῦ τρόπον τὴν τροφήν, ἰσχὺν καὶ δύναμιν περιποιήσῃ κτλ.* conl. Aristot. de anim. gener. IV, 4 p. 400, 10 ed. Paris.

*) Ita Ioann. Chrysost. hom. de Iosepho p. 120, 6 de Potipharis uxore *καὶ ἡ μὲν* inquit *Αἰγυπτία κατεῖχε τὰ φύλλα τῆς ἀταξίας, ὁ δὲ Ἰωσὴφ τὸν καρπὸν τῆς δικαιοσύνης ἐβάσταζεν.*

palmae redundaverit ex nutrimento, cum libidini sit ea quasi inaccessa, ad corporis formam ampliorem et magis eximiam reddendam insumatur; hinc sterilem esse in Graecia. (Cfr. Theophr. h. pl. III, 4, 5 ὁ φοῖνιξ περὶ μὲν Βαβυλῶνα θαυμαστὸς, ἐν τῇ Ἑλλάδι δὲ οὐδὲ πεπαίνει, παρ' ἐνίοις δὲ ὅλως οὐδὲ προφαίνει καρπόν, quode vide Fraas, Synops. plant. flor. class. p. 276 et Bartholdy, Bruchstücke etc. I p. 233 not.) Ut igitur in his palmarum praedicatur εὐταξία, quippe excellentis formae conservatrix, ita gladiatori apud Arrianum Epict. dissert. III, 15 commendari videbis εὐτακτεῖν, ἀναγκοφαγεῖν (conl. Clem. Alex. Paed. II, 1, 2 p. 163 P.), ἀπέχεσθαι πεμμάτων, γυμνάζεσθαι πρὸς ἀνάγκην, [ἐν] ὥρᾳ τεταγμένῃ, ἐν καύματι, ἐν ψύχει, μὴ ψυχρὸν πίνειν, μὴ οἶνον, ὅτ' ἔτυχεν κτλ. Quae omnia cum superioribus testimoniis ita congruunt, ut plane eluceat auctorem in proximis palmarum conparationem cum athletis explicatius enarrasse. In quo mirari subit neminem interpretum adtendisse ad mirificam lectionis diversitatem, qua codices et vetusti libri inpressi inter se pugnant, quorum alii, qui ad fidem suspectiores videri possunt, dant ἀλλὰ τὴν τροφὴν ὥσπερ ἀθλησιν περὶ τὸ σῶμα τῆς εὐταξίας (vel ἀταξίας) ἀναλισκούσης, alii, ut Vindobonensis, praestant ἀλλὰ τὴν τροφὴν ὥςπερ ἀθλητοῦ κτλ. Ad haec si quis memoria repetat, quae supra pag. 43 dicta sunt de inportuno quodam in his libris corruptelarum genere, quo dissecta duarum lectionum membra in unum coaluerint corpus, is vix dubitabit quin ipsum hoc accidisse videatur in nostro loco. Accedit alia suspitio, de qua mox minime dubio exemplo adcuratius expositurus sum. Cum enim parum placeat, sententiae seriem novo subiecto donari, cum praesertim, si quis receperit ὥσπερ ἀθλητοῦ, perincommode, ne hiatu quidem suadente transpositionem*), traiecta videri debeant verba, vix dubium habetur, quin scribarum liberalitas in gratiam vocabuli praecedentis participii ἀναλισκούσης et genus et casum adulteraverit. His expositis prompta erit causae diiudicatio. Credo enim totum locum longe propius ad codicum memoriam et ad sententiam aliquanto rectius sic fere

---

*) Qua de re locis aliquot conlectis post Carolum Sintenim de hiatu p. 327 sq. (7) adnotatum est a me in Quaest. Plut. III p. 13.

scribendum esse *ἀλλὰ τὴν τροφὴν ὥσπερ ἀθλητοῦ σίτησιν περὶ τοῦ σώματος εὐεξίαν ἀναλίσκων*. In quibus quod Wyttenbachio duce adoptavi *εὐεξίαν* pro volg. *ἀταξίαν*, vel ut alii libri praestant *εὐταξίαν*, idcirco factum est, quia post priora *continentiae* repetita mentio vix admitti posse videbatur. Ceterum de eadem corporis *εὐεξίᾳ* certamen per Graeciam institutum indicavit etiam Dio Chrysost. XII p. 240, 8 D. *ἡ σύμπασα Ἑλλὰς θυσίας τε θύουσα ἐκ τῶν παρόντων μεγαλοπρεπεῖς καὶ δὴ καὶ τὸν εὐκλεέστατον ἀγῶνα τιθεῖσα ἀπαρχὰς εὐεξίας καὶ ῥώμης καὶ τάχους*, eamque athletas fabarum nutrimento consecuturos esse admonuit Galenus de alim. fac. I, 19 T. VI p. 529, 11 K. *καὶ πλείστῳ γε τούτῳ τῷ ἐδέσματι καθ' ἑκάστην ἡμέραν οἱ παρ' ἡμῖν μονομάχοι χρῶνται, σαρκοῦντες τὴν τοῦ σώματος ἕξιν οὐκ ἐσφιγμένῃ τε καὶ πυκνῇ σαρκὶ, καθάπερ τὸ χοίρειον κρέας, ἀλλὰ χαυνοτέρᾳ πως μᾶλλον*, de quo loco aliisque quibusdam huc pertinentibus scitissime exposuit L. Friedlaender, Sittengesch. Roms II p. 207, 2, ut ego vix ullum testimonium ab eo praetermissum addere potuerim.

Quantopere librariorum temeritas in participiorum terminationibus pro arbitrio in deterius mutandis grassata fuerit per scriptores labentis potissimum aevi, vix aptius poni poterit exemplum, quam verba Plutarchi in Praef. libr. VI p. 686 c, tractata illa a multis parum felici successu, quamquam fatendum est veri aliquid suboluisse Wyttenbachio. In his postquam explicuit auctor, quam inliberalis sit voluptatum quae e cibo potuve percipiantur recordatio, sic continuatur oratio *προβλημάτων δὲ καὶ λόγων φιλοσόφων ὑποθέσεις αὐτοὺς τοὺς μεμνημένους εὐφραίνουσιν ἀεὶ πρόσφατοι παροῦσαι· καὶ τοὺς ἀπολειφθέντας οὐχ ἧττον εἰς αἰτίαν παρέχουσι τοῖς αὐτοῖς ἀκούοντας καὶ μεταλαμβάνοντας*. Non opus videtur ut de singulis dicam. Illud apertum est, lenius interpungendum esse post *παροῦσαι*, neque per sententiam fieri potest, ut *καὶ τοὺς ἀπολειφθέντας* iungantur cum prioribus, id quod inconsideratius fecit Reiskius, in eo tamen ni fallimur verum adsecutus, quod *αὐτούς τε τούς* scribendum proponebat. Tum facile erit nitorem suum reddere proximis verbis, quae vix dubitandum est quin olim sic scripta fuerint *καὶ τοῖς ἀπολειφθεῖσιν οὐχ*

ἧττον ἑστίασιν παρέχουσιν ἢ τοῖς αὐτῶν ἀκούουσι καὶ μεταλαμβάνουσιν i. e. *non minus sermonum dapes et epulas praebent* (vel, ut est apud Plautum, *sermones edendos dant*) *eis qui aberant a cena, quam qui ipsos illos sermones praesentes audire eorumque conpotes fieri potuerunt.* Quae sine controversia perapta est sententia, Platonico rursus, ni fallor, colore temperata. Cfr. inprimis Timaeum, ex quo sexcentiens sermonis lumina sumpsit Plutarchus, p. 27 b *τελέως τε καὶ λαμπρᾶς ἔοικα ἀνταπολήψεσθαι τὴν τῶν λόγων ἑστίασιν* et de rep. IX p. 571 d *ἑστιάσας λόγων καλῶν καὶ σκέψεων* conl. Plut. Symp. VII, 8, 4 p. 713 c et quae alia exempla adfert Wyttenbachius ad Plut. Mor. p. 40 b, quibus addo similia apud Athen. VII p. 270 c *τροφὴ γὰρ ψυχῆς λόγοι καλοί* conl. I p. 2 b VI p. 268 d VII p. 275 a.*) Ut igitur in his librarii, cum novissimas participiorum syllabas indiscretis fere siglis notarent, temeritate sua locum tribus quattuorve, cum semel ingressa esset corrumpendi via, inquinarunt vitiis — nam perinde plane est per eos, quomodo sigla resolvantur —, ita in alio loco non tam miraberis soloecismum vel adeo licentiam sublestae graecitatis, quam inscitiam scribarum, cum parva vel nulla potiorum librorum dissensione (nam de libro Palatino mihi quidem non satis tuta fides) in Symp. VIII, 9, 3 p. 734 b scriptum sit *αἱ δὲ Γαλατῶν γυναῖκες εἰς τὰ βαλανεῖα πόλτου χύτρας εἰςφέροντες.* Quamquam non nescius sum simile quantumvis dubium corruptionis exemplum adferri ex Quaest. Graec. c. 56 p. 303 e *τῶν δὲ φονευθέντων* de Amazonibus, cui, si modo integra est Stephani lectio, promptior fortasse parata erit excusatio ab iis quae de participiorum non motorum usu praesertim apud scriptores aevi byzantini adnotavit Lobeckius in Aglaoph. p. 216 et Paralip. p. 550, (iniuria credo inpugnata a Bernhardyo v. cl. in Paralip. synt. gr. p. 36), in tanta praeterea scriptoris harum quaestionum neglegentia, non semel saniores melioris aetatis formas oblit-

---

*) *Ὀφθαλμοὺς ἑστιᾶν* dixit Basilius de leg. libr. gent. c. 9: *μὴ ὀφθαλμοὺς ἑστιᾶν ταῖς ἀτόποις τῶν θαυματοποιῶν ἐπιδείξεσιν* et Theodoret. rel. hist. p. 1154 *νομοθετεῖ τοῖς ὀφθαλμοῖς — μήτε τῷ οὐρανίῳ κάλλει καὶ τῷ τῶν ἀστέρων ἑστιαθῆναι χορῷ.* Apud Libanium *ἑστιᾶν, εὐωχεῖσθαι* similia sensu figurato usurpata omnibus paginis occurrunt.

terante hiatusque lineas inpune transsiliente. At certe *εἰσφέροντες* illud, quippe inconcessum genuino Plutarcho, rectissime opinor recentiorum editorum expulit diligentia. Porro eorumdem librariorum incuria eidem Plutarcho in Symp. V, 9 p. 684 c in verbis *κατακαυθὲν δὲ τὴν ἐκ τῆς τέφρας κονίαν* procliviore etiam errore adsperserat *κατακαυθεῖσαν*, itemque in libr. IX, 5, 2 p. 740 c, cum in vicinia legeretur *ἀπαλλαγεῖσαι*, pro *συμφέρονται* subrepsit *συμφέρουσαι*, et quae sunt alia huiusmodi librariorum fraudis documenta, omnibus nota, qui cum codicibus vel cum critica supellectile consuetudinem inierint.

Similem interpolatorum iniuriam vel scribarum socordiam odoramur in verbis superioribus *αἱ μὲν γὰρ τῶν ποθούντων ἡδοναὶ τὴν ἀνάμνησιν ἀνελεύθερον ἔχουσι καὶ ἄλλως ἐξίτηλον, ὥσπερ ὀσμὴν ἕωλον ἢ κνίσσαν ἐναπολειπομένην*. Aperte turbat hic vocabulum *ποθούντων*, cui tamen neque Reiski *καταποθέντων* i. e. *epularum devoratarum* vel *ἀπολαυσθέντων* (quamquam ita dixit Plut. Mor. p. 1089 c *ἐπιτερπὴς ἡ μνήμη τῶν ἀπολελαυσμένων*) neque Wyttenbachi *προσενεχθέντων* vel *παρατεθέντων* vel denique *ποθέντων*, quod ni fallimur vero proximum est, substituendum videtur*). Qui conparaverit locum geminum apud Plut. Mor. p. 1088 f *τῆς δὲ ἡδονῆς ἡ ψυχὴ παραλαβοῦσα τὴν μνήμην, ὥσπερ ὀσμήν, ἄλλο δ' οὐδέν, φυλάσσει· ζέσασα γὰρ ἐπὶ σαρκὶ κατασβέννυται, καὶ τὸ μνημονευόμενον αὐτῆς ἀμαυρόν ἐστι καὶ κνισσῶδες, ὥσπερ ἑώλων ὧν τις ἔφαγεν ἢ ἔπιε τιθεμένου καὶ ταμιεύοντος ἐπινοίας ἐν αὑτῷ, καὶ χρωμένου δηλονότι ταύταις, προσφάτων μὴ παρόντων*, is vix ambigere poterit, quin duo rursus vocabula contaminata fuerint vel alterutrum omissum ac deinde corruptum, ut Plutarchus dedisse censendus sit *αἱ μὲν γὰρ τῶν ποθέντων ἢ βρωθέντων ἡδοναὶ κτλ.*, quae ne inverso ordine promenda statuerem, persuasit et expeditior mutandi ratio et Plutarchus ipse in vit. Cat. mai. 10 *εἰς δ' αὐτὸν ἐκ τῶν ἁλισκομένων οὐδὲν ἐλθεῖν λέγει πλὴν ὅσα πέπωκεν ἢ βέβρωκε*, quamquam ut fert natura et commercia quotidiani sermonis, retroactum potius ordinem sibi vindicant edendi bibendique notiones.

---

*) Quae Fachsius inperitissime de hoc loco protulit, silentio praeterire satius est.

Emendationem locus poscit haudquaquam difficilem, ab ipsis codicibus praemonstratam lib. V, 2 p. 675 b *καὶ τοῦτο μέν, ἔφην, τὸ ἀνάγνωσμα* (Acesandri opus *περὶ Λιβύης) τῶν οὐκ ἐν μέσῳ ἐστί* (cfr. p. 84), *τοῖς δὲ Πολέμωνος τοῦ Ἀθηναίου περὶ τῶν ἐν Δελφοῖς θησαυρῶν οἶμαι ὅτι πολλοῖς ὑμῶν ἐντυγχάνειν ἐπιμελές ἐστι, καὶ χρὴ πολυμαθοῦς καὶ οὐ νυστάζοντος ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς πράγμασιν ἀνδρός· ἐκεῖ τοίνυν εὑρήσετε γεγραμμένον, ὡς ἐν τῷ Σικυωνίῳ θησαυρῷ χρυσοῦν ἀνέκειτο βιβλίον Ἀριστομάχης ἀνάθημα τῆς Ἐρυθραίας ἐπικω . . ποιηματίαις* (sic!) *Ἴσθμια νενικηκυίας*. Horum postremam partem non recte a nuperis editoribus*) tractatam esse, quilibet opinor animadvertit. Neglecta enim codicum memoria in hoc tantum discrepantium, quod in Vatic. et Paris. est *ποιημάταις*, incertum cum lacuna an plene scriptum, in Palat. *ἐπικῷ ποιημάταις*, haec ita suppleverunt *ἀνάθημα τῆς Ἐρυθραίας ποιητρίας Ἴσθμια νενικηκυίας*, in quibus quod adsciverunt *ποιητρίας* vix dubitandum est, quin ex correctione interpretis nescio cuius profectum sit parum felici. Cetera editiones non habent, nec invenio qui haec aliter ex codicum vestigiis constituere voluerit. Videtur autem ni fallor ita potius locus redintegrandus esse *Ἀριστομάχης ἀνάθημα τῆς Ἐρυθραίας ἐπικοῖς ποιηματίοις Ἴσθμια νενικηκυίας*. Quodsi forte sint qui *ποιητρίας*, quod vetustae editiones praebent, ex codice nunc deperdito susceptum opinentur, per me nihil obstat quominus addatur post *Ἐρυθραίας*; quamquam ut secludatur, non reformidabit, qui in hoc genere additamentorum, quibus intellectum expeditiorem facere conabantur pristini Plutarchi interpretes, temerius ut vix potuerit magis, peccatum esse recordetur. Verumenimvero licet de Aristomacha poetria nihil prorsus aliunde innotuerit, nec alius scriptor musici certaminis cum Isthmiis coniuncti suppetat memoriam, ut breviter indicavit Prellerus l. l., refragante aliquantulum O. Muellero in Doriensibus II p. 375, 1, tamen, cum tanta codicum fide munita sit huius rei notitia, neque a veri specie abhorreat, haud inepte conieceris quae feruntur epica Aristomachae

---

*) Quibus adnumerandus etiam est *L. Prellerus* in *Polemonis Periegetae Fragmentis* et qui ea repetiit *C. Muellerus* in *Fragm. hist.* graec. Tom. III p. 123.

poematia adfinis fuisse generis atque Theocriti *Ἡρακλῆς λεοντοφόρος* similia.

Nondum ab his libris discedere licet, nisi unum adhuc locum pessime corruptum perpurgare conatus ero ex libro IX. Ibi post ingentem lacunam, in quaestione 13 et ipsa decurtata *πότερόν ἐστι πιθανώτερον τὸ ἀρτίους εἶναι τοὺς σύμπαντας ἀστέρας ἢ περιττούς;* p. 741 c hoc edi solet * * * *ὅρκοις δ' ἄνδρας ἐξαπατητέον, καὶ ὁ Γλαυκίας, Ἐγὼ μέν, ἔφη, κατὰ Πολυκράτους ἀκήκοα τοῦ τυράννου λεγόμενον τὸν λόγον τοῦτον· εἰκὸς δὲ καὶ καθ' ἑτέρων λέγεσθαι· σὺ δὲ πρὸς τί τοῦτο ἐρωτᾷς; Ὅτι νὴ Δία (ὁ Σῶσπις ἔφη) τοὺς μὲν παῖδας ἀστραγάλοις ὁρῶ, τοὺς δ' Ἀκαδημαϊκοὺς λόγοις ἀρτιάζοντας· οὐδὲν γὰρ οἱ τοιοῦτοι στόμαχοι διαφέρουσι τῶν ἐρωτώντων, πότερον ἄρτια τῇ χειρὶ συνειληφότες, ἢ περιττὰ συντείνουσιν.* Sermo est de philosophis, qui instar sophistarum, ut Gelli verbis utar (N. A. I, 2), neque frugis neque operae probae, se in theorematis tantum nugalibus et puerilium isagogarum commentationibus oblectabant, ut qui insolubilia problemata veluti de numero stellarum arenaeque necterent (Plat. Euthyd. p. 294 b), vel inde a pueritia fulmentas soccis suppingere scivisse atque fratres catulorum et porcellorum esse contenderent, *volgus nebulonum hominum, qui se Stoicos nuncuparent, atraque verborum et argutiarum fuligine ob oculos audientium iacta sanctissimae disciplinae nomen ementirentur.* Sed mirificas plane rationes invenerunt interpretes, ut *οἱ τοιοῦτοι στόμαχοι* quid essent explicarent. Quorum qui *στόμαχοι* simpliciter interpretabantur *stomachi* *), nescio an hoc fecerint obscura quadam provincialis, si bene memini, maledicti, in plebeii etiam sermonis commerciis gliscentis memoria, cui quo maiores adderentur convicio aculei, inloto nostratium more aliquanto significantius subiungere potuerant adiectivum formatum a *porco* voce, ut philosophi isti conpellati fuissent *ventriculi porcini* i. e. *Saumagen!* In quo, si scriptor revera usus esset eiusmodi periphrasi, quam scilicet non verendum est, ne quisquam iusto liberalius condonaturus

---

*) *Kaltwasser:* Denn *solche Magen* sind in gar nichts von denjenigen unterschieden, die andere fragen, ob das, was sie in der Hand haben, gerade oder ungerade ist.

sit pervolgato schemati, quod nuncupant *partem pro toto*, nemo certe Plutarchum dicturus est nimis urbane blanditum esse vel sublimiter philosophatum. Sed res salva est; nunquam enim adducor ut hominem graecum tam inhumane tamque parum eleganter cuiquam conviciatum fuisse credam, qui vel ira inter dicendum effervescente, ventriculi nomine usus fuerit ad contumelias petulantius iactandas in hominem quisquis fuerit, philosophum vel non philosophum. Idque scite intellexisse videntur qui *στόμαχοι* pro corrupto habebant. Sed neque Wyttenbachi *στωμύλοι* apte adhibitum videtur de contentiosis philosophis, qui sophistarum instar (cfr. Plut. Themistocl. c. 2) contortis interrogationibus aut conclusiunculis fallacibus auditores retibus quasi involvere nitebantur (cfr. Cresollius theatr. vet. rhet. II p. 118 P.)*), neque eiusdem editoris suspitio *αἱ τοιαῦται σκιαμαχίαι* (cfr. Plut. adv. Colot. p. 1114 a *εἰ μὴ βούλεσθε κεναῖς φωναῖς περὶ κενοῦ χρῆσθαι, σκιαμαχοῦντες πρὸς τοὺς ἀρχαίους* conl. p. 900 f) commode ante *τῶν ἐρωτώντων* stare potuit, eademque causa est, cur Meziriaci *λεπτολογίαι*, quod ad sententiam adeo veri similius excogitatum videri possit, reiciendum esse crediderim. Equidem re adcurate perpensa non dubito quin aliud quid posuerit Plutarchus et olim ad sententiam perapte scriptum fuerit *οὐδὲν γὰρ οἱ τοιοῦτοι λογομάχοι διαφέρουσι*. quibus conparo praeter ea quae adlata sunt a Dindorfio in Steph. Thes. s. v., Plat. Tim. p. 88 a *διδαχάς τ' αὖ καὶ μάχας ἐν λόγοις ποιεῖσθαι*, Conon. narr. 38 *ὡς δὲ μετὰ πολλὴν ἔριν καὶ λογομαχίαν ὁ Μιλήσιος εἰς ὅρκον τὸν ἀδικοῦντα προὐκαλεῖτο*, Epist. ad Timoth. I, 6, 4 *μηδὲν ἐπιστάμενος, ἀλλὰ νοσῶν περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας* et quae ex serioribus ad hunc locum docte congessit Wettstein, veluti Mich. Apostol. XIV, 62 *πόλεμός τις ἀσίδηρος ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα κεκίνηται: ἐπὶ τῶν λόγων μαχομένων· οὕτω γὰρ ἔθος τοῖς σοφοῖς μάχεσθαι πρὸς ἀλλήλους* etc. Super erat in codice archetypo . . . *ΓΟΜΑΧΟΙ*, unde monachus gulosus homo et ut sacris mi-

---

*) Ita Anna Comnena Alex. V, 8 p. 259, 3 de Latino, Michaelis Pselli aequali, dixit *ἐμβαθύνας δὲ τῇ διαλεκτικῇ μεθημερινοὺς θορύβους ἐν πανδήμοις συνελεύσεσιν ἐποιεῖτο, σοφιστικὰς συνείρων ἐρεσχελίας*, eandemque verborum velitationem exprobravit sophistis Ioann. Chrysost. de S. Babyla p. 215, 9 *καὶ λόγων ἄμαχοι σοφισταί*.

sceret profana religionique adderet voluptates, ad bonum stomachum ventrisque obsequium haud dubie adtentior, quam ad emendatam Plutarchi scriptionem, iculariter finxit *στόμαχοι*. Vide quantum ineptiarum ea vox stulte interposita pepererit.

Similiter foedissima corruptela lectores adhuc ludificatur in eis quae edi solent in vit. Periclis c. 6. Posteaquam de insigni commodo dictum est, quod Pericles ex consuetudine ac familiaritate Anaxagorae Clazomenii ceperit, ut rerum causis cognitis iam liber esset ab omni superstitione, quam rerum coelestium contemplatio atque terror efficere soleat, subiungitur narratiuncula de capite arietis unicornis ad Periclem rure adlati et qua ratione portentum a Lampone augure et rursus ab Anaxagora interpretatum fuerit. Deinde haec leguntur *ἐκώλυε δ' οὐδὲν, οἶμαι, καὶ τὸν φυσικὸν ἐπιτυγχάνειν καὶ τὸν μάντιν, τοῦ μὲν τὴν αἰτίαν, τοῦ δὲ τὸ τέλος καλῶς ἐκλαμβάνοντος· ὑπέκειτο γὰρ τῷ μέν, ἐκ τίνων γέγονε καὶ πῶς πέφυκε, θεωρῆσαι, τῷ δέ, πρὸς τί γέγονε καὶ τί σημαίνει, προειπεῖν. Οἱ δὲ τῆς αἰτίας τὴν εὕρεσιν ἀναίρεσιν εἶναι λέγοντες τοῦ σημείου οὐκ ἐπινοοῦσιν ἅμα τοῖς θείοις καὶ τὰ τεχνητὰ τῶν συμβόλων ἀθετοῦντες, ψόφους τε δίσκων καὶ φῶτα πυρσῶν καὶ γνωμόνων ἀποσκιασμούς· ὧν ἕκαστον αἰτίᾳ τινὶ καὶ κατασκευῇ σημεῖον εἶναί τινος πεποίηται. Ταῦτα μὲν οὖν ἴσως ἑτέρας ἐστὶ πραγματείας.* Sic hunc locum editiones pleraeque exhibent, neque est in eo, quod offendere atque inpedire peritum lectorem possit, praeterquam in verbis *ψόφους τε δίσκων*, quorum si quid video sententia tam inepta est, ut veram codicum scripturam esse non adducar ut credam. Ac primum quidem quaenam intellegenda sint *σύμβολα τεχνητά* post ea quae Reiskius, repetita deinde a Carolo Sinteni in editione maiore, ad hunc locum subtilissime adnotavit, cuilibet opinor manifestum esse debet. Sunt enim, ut ipsis Reiski verbis utar, cum vix possim explanare melius, indicia rerum ab aliis rebus effecta vel existentia, *non a natura procreatis* (i. e. *τοῖς θείοις*), *sed ab arte humana elaboratis* (*τοῖς τεχνητοῖς*), ut taeda ardens et gnomon umbra tempus significans, sunt res hominum manibus conparatae, per quas non nulla indicantur, quae videntes intellegunt vel coniectant. Quibus subiungere libet eiusdem viri observa-

tionem: „Colligit Plutarchus sic: si divinis indiciis (sunt autem divina, quaecunque a natura ipsa, sine industria et voluntate hominum eveniunt, et e quibus divinatio documenta capit), his si fidem derogamus, una humanorum quoque fidem tollimus indiciorum. His autem si non licet fidem derogare, relinquenda etiam divinis est.“ In quo nihil habeo quod viro egregio refrager. Sed instat porro alia quaestio multo gravior, quinam tandem sint discorum isti sonitus, dextre neglecti a Reiskio, e quibus iuxta cum divinis indiciis certum quoddam rei documentum capi posse dixisse censetur Plutarchus? Atque illud quidem ambigi non immerito poterat, rectene discorum sonitus cogitari possent *arte humana* effecti. Non inepte enim haud dubie dixeris faces cum taedis ardentibus hominum manibus conparatas sublatasque, veluti nuntii longinquius celeriusve propagandi causa; eodemque iure dixeris gnomonem hominis artificio ita institui, ut umbra umbilici temporis significandi causa certam et definitam mensuram efficiat; verum ecquis unquam rescivit sonitum disci, quasi musicum esset instrumentum, cuiuslibet rei monstrandae vel indicandae gratia artificiose excitari? Accedit hoc gravissimum, quod prorsus ignoratur quidnam omnino discorum sonitu significatum fuerit. In propatulo est enim, discum non aliter posse sonitum edere, nisi quando cum vi emissus cedentis aëris stridorem quendam atque crepitum efficiat. Nam quem mirifici huius discorum soni explicandi causa Xylandro suasore adferunt locum ex Cic. de orat. II, 5, 21: *nam et saeculis multis ante gymnasia inventa sunt quam in iis philosophi garrire coeperunt; et hoc ipso tempore cum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores d i s c u m a u d i r e [quam philosophum*)] malunt, qui simul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus et gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis causa relinquunt,* is dici non potest quam infeliciter adlegatus sit. Adparet enim nihil aliud perspicuis his Ciceronis verbis declarari, quam permultos esse, qui gymnasia quam philosophorum scholas frequentare praeoptent atque *levissimam delectationem gra-*

---

*) Haec quidem duo rectissime mea sententia, quippe prorsus inutilia, quoniam praecedat *eorum auditores*, extrudenda arbitrabatur Ioa. Bake nuperrimus horum librorum editor.

vissimae utilitati anteponant. Quod cum dicit Cicero nihil eum dixisse vides aliud, quam quod nos, qui *severiores colimus Musas* magis magisque in dies conquerimur, quod delectabilis ista rerum utilitatis disciplina, nisi suos fines egredi prohibeatur, omnes omnino liberaliores iuventutis nostrae spiritus pessum datura vel suffocatura est. Utut est, illud iure mireris Ciceronem cuiquam mystici istius Plutarchei discorum sonitus haud contemnendum interpretem visum esse. Etenim ne si recte quidem inde conclusum esset, disci sono signum datum fuisse exercitationum, commode id conponi potuit cum ceteris. Certe talia si Plutarchus significare voluisset, luculentius reperire potuisset causae suae firmamentum; neque gravabor profiteri me Plutarchum novisse scriptorem non adeo ineptum atque plumbeum, qui quod signum datum erat disci quadam pulsatione nescio quo pacto, suo iure id inter symbola, e quibus homo suspicax trahere possit indicium quodlibet, rettulisse censendus sit. Mihi quidem quo quis adcuratius locum Ciceronis consideraverit rationemque eius reputaverit, eo minus ei ad Plutarchi verba explicanda tributurus videtur. Multo magis mireris, quod Dacerius, homo saepe insulsus adscripsit: *le son des bassins: c'est comme nous dirions aujourd'hui le son des trompettes ou des tambours; car les Grecs se sont servis quelquefois de bassins d'airain dans les troupes*, quae partim nulla partim exigua fide tradita, nunc adcuratius examinare non lubet. Quid igitur faciemus, postquam his utcunque interpretationibus nihil nos lucrari vidimus? Emendabimus audacter, nec dubito, quin cuivis per se ipsa iam se commendatura sit verborum mutatio *καὶ τὰ τεχνητὰ τῶν συμβόλων ἀθετοῦντες, ψήφους τε καδίσκων καὶ φῶτα πυρσῶν καὶ γνωμόνων ἀποσκιασμούς.* Inter omnes fere hodie constat duo fuisse in dicasterio *καδίσκους* s. *κάδους*, alterum *κύριον* s. *πρότερον*, alterum *ἄκυρον* s. *ὕστερον* nuncupatum, itemque duplex calculorum s. *ψήφων* genus, alterum *τῶν μελαινῶν* s. *τετρυπημένων*, quibus in prius vasculum iniectis reus condemnabatur, alterum *τῶν λευκῶν* s. *ἀτρυπήτων*, quibus absolvebatur (cfr. Meier et Schoemann Att. Process p. 720 sqq. et Petersen Observationes in Agamemnonem Aeschyl. part. II (Miscellanea Hafn. ed. Muenter Tom. II p. 60 sqq.). Unde nemo non videt, quam apte calculi a iudicibus in vascula demissi,

quibus rite conputatis gravissimum vel damnationis vel liberationis fieret indicium, conponantur cum aliis *symbolis* ad aliarum rerum indicium hominum arte manuque conparatis. Cui ut omnis omnino tollatur scrupulus etiam hoc subiungi potest, non semel calculorum, e quibus futurorum malorum bonorumve praesagia sumerentur, in veterum re vaticina mentionem fieri. De quo divinandi genere praeter Iambl. de myst. III, 17: *εἰ δὲ ἄχρι τῶν ἀψύχων οἷα ψηφιδίων ἢ λίθων ἢ ῥάβδων ἢ ξύλων τινῶν ἢ πυρῶν ἢ ἀλφίτων διήκει τὸ θεῖον τῇ προδηλώσει, αὐτὸ τοῦτο καὶ θαυμασιώτατόν ἐστι τῆς θείας μαντικῆς προσημασίας* et Annam Comn. VI, 7 p. 292, 4 sqq. *καὶ ὁ Αἰγύπτιος ἐκεῖνος Ἀλεξανδρεὺς πολὺς ἦν τὰ τῆς ἀστρολογίας ἐμφαίνων ὄργια· ὃς καὶ παρὰ πολλῶν ἐρωτώμενος ἀκριβέστατα προεμαντεύετο· ἐν ἐνίοις δὲ οὐδὲ ἀστρολάβου δεόμενος, ἀλλὰ διά τινος ψηφηφορίας τὰς προρρήσεις ἐπεποίητο*, inprimis videndus est Lobeck in Aglaoph. p. 814 sq.

Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὧδέ πῃ γεγράφθω.

Scripsi Misniae Saxonum VII Cal. Sept. MDCCCLXIV.



ADDENDA.

P. 24 v. 8 ab imo *ἐπ' ἀγκυρῶν ἀποσαλεύειν* dixit etiam Appian. de bell. civ. II, 54.

P. 25. Ad ea quae ex Dione Chrysostomo prolata sunt meminisse iuvabit eorum quae Libanius habet Tom. I p. 296, 3 R. ed. pr. *ἐνταῦθα τὸ σῶμα θεραπεύων ἐπὶ τοῖς πόνοις πίνει τῆς πηγῆς ὕδωρ ψυχρόν τε καὶ διαφανὲς καὶ ἥδιστον, ἡ δὲ τῆς πόσεως ἡδονὴ τοῦ μητρῴου μαστοῦ τὸν Ἀλέξανδρον ἀνέμνησε· καὶ πρός τε τοὺς συνόντας ἐξειπεῖν, ὡς ὅσαπερ ἐκείνῳ, τοσαῦτα ἐνείη τῷ ὕδατι· καὶ τοὔνομα τῆς μητρὸς ἔδωκε τῇ πηγῇ* quae rhetoris sutrinam redolent. Eiusdem farinae est Irenaei adv. haeret. IV, 74 p. 378, 25 *ὡς ὑπὸ μασθοῦ τῆς σαρκὸς τραφέντες.*

Ibid. v. 2 ab imo. De monstruoso ursi partu conferendus est adhuc Eustath. de emend. vit. monach. 15 *καὶ τότε δὴ ὡσεὶ καὶ ἄρκτου εἰδεχθές τι καὶ ἄμορφον ἔμβρυον εἰς ἀμορφίαν αὐτῷ πρέπουσαν μεταποιηθείς.*

Ibid. v. 9 ab imo. Adde Libanium I p. 115, 4 R. ed. pr. *ὁ δὲ λουσάμενός τε καὶ δειπνήσας ὕπνον τε ὁμοῦ καὶ θάνατον δέχεται,* qui locus apte conponi potest cum Plut. Dion. c. 6 *θανάτῳ συνάψαντες τὸν ὕπνον.*

P. 26 v. 10 ab imo. Ex Platone addere debebam Conv. p. 211 e *εἴ τῳ γένοιτο αὐτὸ τὸ καλὸν ἰδεῖν εἰλικρινές, καθαρόν, ἄμικτον.*

P. 27. Adde Appian. de b. c. II, 33 *καὶ ὅσα ἄλλα αὐτοῖς ἔμελλεν ἔσεσθαι προθεσπίζων.*

P. 36 v. 12. Apud Libanium plerumque obtinet ταῖν χεροῖν sim. veluti p. 87, 8 p. 244, 22, quae num e codicibus posthac excusis correcta sint ignoro, cum haec testimonia ex priore Reiski editione, quae tribus voluminibus prodiit, huc transferre coactus sim.

P. 39 v. 4 ab imo. In loco Theophylacti hist. V, 10 nescio an scribendum sit τοὺς ἱππέας τῶν ὀχημάτων ἀπέβαλεν. Ὄχημα enim apud Byzantios non ita raro ponitur pro ἵππος, ut in inferiore Latinitate *vehiculum* eodem significatu usurpatur atque *equus*. Cfr. Leo grammat. in Theoph. p. 451 καὶ τοῖς δημοσίοις ὀχήμασιν ἐπιβάς, ἀπῆλθεν φυγὰς μέχρι τῶν Κλεισουρῶν Συρίας, τὰς τῶν ἵππων ἰγνύας ἐκκόπτων.

P. 40. Apud Libanium φοιτᾶν similia plerumque iunguntur cum παρά veluti I p. 74, 10 conl. p. 326, 15 et similiter p. 93, 9 ἀφεκτέον ἐστί μοι τῶν παρὰ τὴν γυναῖκα ἐκείνην ὁδῶν etc.

P. 42 v. 7. Τοὖργον scribae etiam servarunt apud Libanium I p. 85, 18; item fere ubique apud eum coalescit τὸ ἔδαφος.

P. 48. Verbum στένειν in frequentissimo usu etiam apud Libanium est e. g. I p. 49, 7 p. 192, 17 p. 243, 5 ubi κάθηται στένων, p. 252, 3 etc.; idem succurrit apud Appianum veluti de b. civ. II, 75 καὶ ἔστενεν καθ' αὑτόν, ut iure mireris unquam dubitari potuisse de usu huius verbi in lingua volgari ex omnium dialectorum colluvie nata. Multo frequentius sane occurrit apud Byzantios, e quibus hodie addiderim Niceph. Bryennium comment. II, 7 p. 63, 7 ἔστενόν τε καὶ ἐδάκρυον conl. p. 64, 7, vana praeterea synonymorum cumulatione, cui alii huius sectae scriptores, veluti Theophylactus et Nicetas Choniates, ad insaniam usque indulgent, ἠνιᾶτο μὲν καὶ ἠθύμει καὶ ἔστενε καὶ ἐδάκρυεν (cfr. Procop. h. a. p. 95, 13 ἀντιβολῶ τοίνυν καὶ ἱκετεύω καὶ δέομαι, quae in glossarum similitudinem incurrunt).

P. 49. Φόνου πολλοῦ γενομένου conposuit etiam Appian. d. b. c. II, 105 itemque πολὺς ἐγίγνετο φόνος ibid. c. 22. Ac legitimam consecutionem retinuit etiam Liban. decl. I p. 138, 5 φόνῳ τε πολλῷ καὶ αἵματι; uno quantum scio loco dixit γενομένης δὲ τῆς μεγάλης μάχης καὶ τοῦ πολλοῦ φόνου p. 117, 8.

P. 55. De verbo ἐκβάλλειν provocare debebam ad A. Koechlyum meum Emend. in Eurip. Iphig. Taur. p. II p. 16 et qui ab hoc laudatur Schoenium ad Hercul. fur. v. 933.

P. 58 v. 16 ab imo adde Eustath. in orat. anno auspic. habita p. 154, 1 (Tafel) ὄμβρος ἢ γάλα οὐράνιον ἢ μάννα δεύτερον.

P. 62. Cfr. M. Willkomm, die Halbinsel der Pyrenäen Leipz. 1855 p. 270: *In Nordportugal sind die Bergabhänge (z. B. die der Serra de Gerez)*

mit einem reizenden Gemisch mittel-, west-, südeuropäischer und endemischer Sträucher und Bäume (Rhamnus frangula, Ilex Aquifolium, Quercus pedunculata, Fagus silvatica) bedeckt. De canistris sparto contextis vide Willkomm l. l. p. 532, Beckmann, Beiträge z. Gesch. d. Erf. B. III S. 123, 4, H. Wiskemann, die antike Landwirthschaft etc. Leipz. 1859 p. 27, 5: *Ausser Seilen und Tauen machte man Körbe, Matrazen, Schuhe, Socken für Pferde, Ochsen und Maulesel aus dem Spartum.*

P. 74 v. 9 ab imo pro p. 714 c scrib. p. 744 c.

P. 84. Exempla alterius praepositionis in verbis conpositis male omissae praebet Iacobs Aelian. h. a. X, 1 p. 219, 8.

Quod in Quaest. Plut. partic. II p. 29 de loco Symp. VI, 10 p. 696 e *ὅτι μὲν δὴ πνεῦμα τῆς συκῆς ἄπεισιν ἰσχυρὸν καὶ σφοδρὸν ἥ τε ὄψις ἐκμαρτυρεῖ κτλ.* demonstrare conatus sum pro *ὄψις* substituendum videri *ὄσφρησις*, hodie non amplius tenuerim, cum praesertim nesciam an tueri liceat exemplo Theocriti I, 149 *θᾶσαι, φίλος, ὡς καλὸν ὄσδει*, quo de loco et quibusdam aliis fortassis huc pertinentibus disseruit Lobeckius in Rhematico p. 338 et Fritzsche ad Theocritum, l. l. qui aptissime provocavit ad Plaut. Mil. glor. 4, 6, 44: Naso pol iam haec quidem videt plus quam oculis. Item quod in eadem particula p. 37 in loco Symp. I, 10, 1 p. 628 a pro *τὸν χορὸν διατάξας* ex constanti ut opinabar veterum usu refingendum suasi *τὸν χορὸν διδάξας*, num recte fecerim nunc ambigo; certe eodem prorsus modo cum Plutarcho locutus est Athen. X p. 453 c (*Καλλίας*) *ἐποίησε τὴν καλουμένην γραμματικὴν τραγῳδίαν οὕτω διατάξας*, neque dispicio cur ita dici non potuerit.

In Part. III p. 60 coniecturam proposui de loco ex libello de amore prolis, qui mihi quidem non est Plutarcheus, p. 496 a, ubi femina parturiens dicitur *τὸ μῖγμα τῆς ἀλγηδόνος ὁμοῦ πικρὸν καὶ ὀξὺ γενόμενον ἐν τοῖς σπλάγχνοις ἔχουσα.* Mirum sane dicendi genus, non tamen ut pro corrupto habendum sit, simodo *μῖγμα* adfini sensu dictum sumatur quo verbum *μίγνυμι* et *μίγνυσθαι* apud Homerum aliosque poetas de proeliantibus usurpatur. Conparari potest Ps.-Plut. de fort. Alex. p. 344 f, ubi Alexander gravi vulnere adflictus dicitur *τὸν πόλεμον ἐν τοῖς σπλάγχνοις ἔχων*. Non dissimile est Ioann. Chrys. ad vid. iun. p. 190, 43 *τῆς ὀδύνης σφοδροτέραν τὴν φλόγα ἐργάσασθαι*, quibus confero Achill. Tat. IV, 7 p. 116, 3 H. *ἐπὶ πόλεμον νῦν ἐξελεύσομαι βουκόλων· ἔνδον μου τῆς ψυχῆς ἄλλος πόλεμος*, et Ioann. Chrysost. p. 336, 49 *πόλεμος τῶν παθῶν καὶ χειμὼν κάθηται τῶν ἀτόπων λογισμῶν*; similiter *ὑπὸ νόσου πολιορκεῖσθαι* dixit Isidor. Pelus. IV, 118 p. 478 b

et Ioann. Chrysost. de virgin. p. 135, 21 πολλὰ ἔτι τούτων χαλεπώτερα ἀπολαβόντα τὸ σῶμα πολιορκεῖ εἰς ἐσχάτας ἀναπνοάς conl. p. 149, 2, quos praeivit auctor libelli de Alex. s. virt. s. fort. or. II p. 341 d πολιορκοῦσα τὰς ὄψεις καὶ τὰς βάσεις.

Quae in part. IV p. 24 de conlocatione provinciarum Paphlagoniae et Cappadociae dixi, adstrui poterant Xenoph. Cyrop. VI, 2, 10, ubi eodem ordine atque apud Plinium et Zonaram incedunt καὶ Λυκάονας καὶ Παφλαγόνας καὶ Καππάδοκας.

Si quae sint operarum sphalmata vel mei errores, quos multos esse auguror, apud cordatos lectores veniam fore confido.



Index scriptorum et locorum qui vel emendati sunt vel explicati.

*) Defendi poterit *συνελαύνομενος* his similibus: Aelian. de n. a. *ἀνὴρ σοφίας εἰς ἄκρον ἐληλακώς*, Zosim. p. 359 b *εἰς ἔσχατον ἐληλακυῖαν ὁρῶσα κακοῦ* conl. p. 338 B).

Index verborum et rerum.

MISNIAE, TYPIS KLINKICHTIANIS.

